SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII PAPÆ VII.

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO

Die XXIV. Maji MDCCCII.

Item Conventio, et Litteræ Apostolicæ tam sub Plumbo, quam in forma Brevis super præsentibus Galliarum Negotiis Ecclesiasticis.

Alia denique Monumenta eadem Ecclesiastica Negotia respicientia.



ROMÆ MDCCCII.

Apud Lazarinum Rev. Cameræ Apost. Typographum.

VENERABILES FRATRES

Quam luctuosam in conditionem intestinis perturbationibus, quæ multis jam annis Galliam agitaverant, in florentissimis illius regionibus Catholica Religio adducta esset, non Europæ solum apertum est, verum etiam patet Orbi terrarum universo, ac Vobis multo magis, Venerabiles Fratres, qui testes ac socii fuistis Apostolicarum curarum nostrarum, et antea Pii VI. fel. rec. decessoris nostri; flentesque sæpe Nobiscum vota Deo fecistis ut Ecclesiæ res in pristinum verterent, tantæque prohiberentur calamitates.

Qui Catholicæ Religionis studio tenebantur, in vastissimis illis regionibus abditi inclusique, in omni amaritudine ac labore una cum bonis omnibus externorum Regnorum lacrimas precesque indesinenter jungentes Deum obsecrabant ut iram indignationis averteret, ac ut flagella suæ iracundiæ procul amoveret.

Nos et quo tempore Forocorneliensem Ecclesiam regebamus, et multo magis postquam ad Ecclesiam universam gubernandam in hac Petri Cathedra, licet immerentes, collocati fuimus, quibus nam gemitibus tanta Domus Dei damna, tanta Animarum in certum interitum in dies ruentium exitia sumus deprecati!

Placuit tandem Patri Misericordiarum Deo supplicum preces audire, fecitque ut Illustris Vir, cui non magis suos triumphos, quam suam prosperitatem, quietem ac pacem Gallia refert acceptas, illud animo conciperet efficeretque, (ex quo ei summa præter omnia celebritas apud omnem posteritatem erit futura) nimirum ut tot millibus millium hominum, quot continet Gallia, avita majorum religio, atque una cum ea vera ac solida felicitatis ipsorum fundamenta restituerentur. Nos hic, ut videtis, Primum Reipublicæ Gallicanæ Consulem indicamus, Napoleonem Bonaparte. Sapienter ille animadvertens veram felicitatem ac tranquillitatem tantæ Nationis a restitutione Catholicæ Religionis omnino pendere, ultro deside-

riis Nostris occurrens, officiis ejus ingenio atque animo dignis significavit Nobis se agere Nobiscum velle de ratione qua, Catholica Religione in Galliis restituta, felicitas simul illa, quæ tam luctuosis temporum vicibus inde sublata fuerat, revocari posset.

Noscit Deus, noscitis Vos, VV. Fratres, qui assidui socii ac participes Paternarum Nostrarum sollicitudinum fuistis, quanta Nos alacritate tantæ rei ac tam salutari operam navaverimus; scitis quantas curas susceperimus, quanta obstacula superaverimus, quo studio diu noctuque vigilantes numquam ab ea oculos, mentemque dejecerimus, ut rationes inveniremus, quibus ad optatum exitum adduci posset.

Adfuit tandem aliquando idem miserator Deus sollicitudinibus Nostris, ejusque potenti auxilio factum est, ut tot tristibus procellarum diebus, Aurora pacis, nuncia optatæ serenitatis succederet. Cum perspexerimus, id a Nobis Ecclesiæ, atque Unitatis bonum postulare, ut paternæ nostræ charitatis viscera dilatantes Apostolicam Potestatem ad ea proferremus, quæ ad Religionem iterum in Gallia restituendam necessaria viderentur, facta est inter Nos Primumque Gallicanæ Reipublicæ Consulem Conventio septemdecim articulis constans. Eadem subscripta ac firmata fuit tum a Plenipotentiariis Nostris, quos ea quæ constituenda erant docueramus, et omni potestate nostra instruxeramus, tum a Plenipotentiariis Reipublicæ Gallicanæ die XV. Julii anni superioris 1801.

Tenor septemdecim Articulorum iterum deinde expensus, atque ad examen vobiscum una a Nobis vocatus est antequam rati fierent subscriptione Nostra, ex eaque vim suam, atque auctoritatem acciperent. Mox assiduis votis Catholicæ Religionis restitutionem, quam unam propositam semper ante oculos habebamus, properantes, nulla per Nos interposita mora, die XV. Augusti ejusdem anni, quæ dies sacra est Sanctissimæ Dei Genitrici in Cælum Assumptæ, Galliarum Patronæ, Apostolica Constitutio, in qua enunciati septemdecim Articuli continentur, in Galliam, ut illic (quod summa cupiditate expetebamus) quamprimum fieri posset promulgaretur, est missa.

Non multo post ad optatam Catholicæ Religionis resti-

tutionem ad effectum perducendam, alias etiam Litteras in forma Brevis, alias Apostolicas Constitutiones dare non prætermisimus. Prospeximus circumscriptioni novarum Diæcesium, canonicæ institutioni dandæ a Nobis Episcopis earumdem, reconciliationi cum Ecclesia eorum qui aberraverant, collationi necessariæ potestatis Legato Nostro a Latere Dilecto Filio Nostro Joanni Baptistæ Cardinali Caprara, quem ad tantas res conficiendas in Galliam miseramus, tandem iis omnibus, quæ aut necessaria, aut opportuna esse ad sanctissimi hujus operis perfectionem judicavimus. Proponimus Vobis ob oculos, Venerabiles Fratres, Acta, quæ sive immediate, sive mediate ad hanc rem conficiendam sunt a Nobis profecta. Vos ea legetis in Sylloge, quæ hic Nostra auctoritate est typis vulgata, in eaque quæ ab Apostolica hac Sede in hac causa facta sunt, et in quibus partem habuit, reperietis.

Tandem aliquando dies tamdiu exoptatus promulgandæ præfatæ Conventionis, cumque eo tempus restituendæ in Gallia Catholicæ Religionis advenit. Cardinalis Noster a Latere Legatus solemni pompa exceptus est a Gubernio Reipublicæ Gallicanæ, a quo luculentiores obsequii, honoris, reverentiæ significationes in hanc Apostolicam Sedem sunt editæ, quemadmodum superioribus Legationibus in Gallia factum fuerat. Legatus vero Noster per se fiduciæ respondere studuit quam Gubernium in eodem ad gravissimi muneris functionem admittendo in eo se habere declaravit. Conscius ille sensuum Nostrorum, qui sunt omnes ad una spiritualia conversi, et ad religionem in Gallia restituendam, certum fecit Gubernium numquam in suo Legationis munere attentatum iri contra jura Gubernii ac Nationis; statuta ac consuetudines Reipublicæ, seque ad Gubernii beneplacitum in eodem munere continuaturum esse, prout ex enunciata Sylloge cognoscere potestis.

Post hanc solemnem cæremoniam die sacrâ humani generis Redemptioni maxima solemnitate ac pompa septemdecim Articuli Conventionis inter hanc Apostolicam Sedem, et Gallicanum Gubernium promulgati sunt. Promulgata item Apostolica Constitutio Nostra, in qua iidem continentur, ratique habentur a Nobis. Consules Reipublicæ cum cæteris Gubernii Magistratibus magnifi-

centiori amplitudinis ac potentiæ suæ apparatu augustis cæremoniis adfuere ejus Religionis, quam profitentur, gratiasque solemniter egere Deo de maximo beneficio in Galliam collato, Catholica Religione illi reddita, et cum Religione etiam pace inter eam orbemque terrarum constituta.

Ex hoc auspicatissimo die, quam novam speciem non exhibet Gallia orbi terrarum universo! Templa Altissimi iterum patefacta, in eorumque frontibus augustum Dei nomen, Sanctorumque suorum signatum; Ministri Sanctuarii Deo operaturi iterum cum fidelibus ad Aras congregati; Oves sub legitimis Pastoribus iterum collectæ; Ecclesiæ Sacramenta iterum libere, ac reverenter administrata; publicum Catholicæ Religionis exercitium firmiter constabilitum; Supremum Ecclesiæ Caput, cum quo qui non colligit dispergit, solemniter agnitum; Vexillum Crucis denuo elatum; Dies Domini iterum sanctificata; luctuosissimum denique Schisma, ex quo cum propter Gallicanarum regionum magnitudinem, tum propter populorum, oppidorumque illorum celebritatem infinita mala in Catholicam Religionem erant pertimescenda, amotum atque sublatum. Hæc aliaque bona magna ac salutaria memoratus ille dies habuit, de quibus Nos lætari in Domino ac gaudere omnino debemus.

Gaudeamus igitur, Venerabiles Fratres, eaque lætitia gaudeamus, qua Nos Religionis amor, studiaque spiritualis boni tam multarum Animarum jure jubent gaudere. Et quoniam omne bonum a Deo est, atque hoc potissimum ei uni acceptum referri debet, (neque enim sine Divina ejus misericordia, ac sine præpotenti ejus ope tanta obstacula difficultatesque superari potuissent, quæ superandæ omnino fuerunt, ut eo, unde tam longe aberant, res reverti possent), volumus ut, cumulati iis beneficiis, quæ superius enunciavimus, celebraturi propediem solemnia gloriosæ Ascensionis Divini Reparatoris Nostri, Sanctissimæque ejus Religionis auctoris, quæ nunc denuo in Gallia est constituta, solemnes ei gratiæ a Nobis agantur pro memoratis iis bonis, quæ ejus ope per promulgationem præfatæ nostræ Constitutionis, et Articulorum Conventionis, qui in ea continentur, consecuti sumus.

Haud ita tamen VV. Fratres gaudio lætitiaque perfundimur, ut nihil Nobis ante oculos obversetur, quod sollicitudinem nostram non excitet, curasque nostras (quæ sunt muneris nostri partes) non exposcat. Qua tamen sollicitudine Nos liberari confidimus per sapientiam ac religionem primi Consulis, Nationisque Gallicanæ, quæ et optime tot sæculorum spatio de Catholica Religione merita est, et eam nunc denuo in Galliæ sinu restitutam tanta cum alacritate complectitur. Siquidem animadvertimus una cum præfata conventione Nostra nonnullos alios Articulos ignotos Nobis promulgatos esse, quos, vestigiis Prædecessorum Nostrorum inhærentes, haud possumus non expetere ut opportunas ac necessarias modificationes ac mutationes accipiant. Nos certe Officia Nostra apud Primum Consulem omni studio adhibebimus, ut ab ejus religione id tribuatur Nobis. Quod non sine causa confidimus tum ab eo, tum a Gallica Natione tam perspicaci ac sapienti Nos esse consequuturos. Etenim Gubernium Gallicanum in Catholica Religione restituenda, in ejus sanctitate atque utilitate agnoscenda, nolle non potest, ut ea, quæ restitutæ Religionis sanctissima constitutio exposcit, executioni demandentur, atque omnia cum illa salutari disciplina plene consentiant, quæ ab Ecclesiæ Legibus est stabilita.

Avertat Deus, neque illud sinat umquam ut ullum temporalis commodi studium, ulla cupiditas occupandi quidpiam, quod ad Ecclesiam non pertinet, Nos ipsos occupet, aut Pastores quos Christus subdidit Auctoritati Nostræ. Divinum illud semper ante oculos habeamus, *Quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ sunt Dei Deo*. Exemplo omnibus in hoc erimus semper, dabimusque operam ut Episcopi, cæterique, qui in Vinea Domini, juxta vocationem qua vocati sunt, laborant, verbis atque opere unis Religionis officiis, uni Animarum ipsorum fidei concreditarum saluti se intentos ostendant, nec iis quæ ad ipsos non spectant, se implicantes, ullas Religionis hostibus occasiones Ministros ejus calumniandi præbeant. Hortabimur eos omni studio ut Præceptis Sanctorum Apostolorum, qui Magistri sunt Nostri, arcte inhærentes, non concionibus solum, verum etiam exemplis debitam obedientiam civilibus Potestatibus inculcent, propter quam

vel a primis Ecclesiæ Exordiis Christiani homines submissionis Præpositis suis, ac fidelitatis exempla habebantur.

Superest Venerabiles Fratres, ut de Pastoribus, qui nuper Diœcesibus Galliæ gubernandis in nova earundem restitutione præpositi sunt, Vos doceamus. Agnoscetis Vos inter eos haud exiguum numerum eorum vigilantissimorum Pastorum, qui ante novam Diœcesium circumscriptionem,recentesque mutationes inGalliis factas, semper centro Unitatis, nimirum huic Sanctæ Sedi, adhærentes, præclarissimis fidei, patientiæ, pastoralis vigilantiæ, virtutumque omnium exemplis; quibus Ecclesiam Dei illustraverunt (rogati a Nobis,quod ita Ecclesiæ bonum postulabat) voluntarium Sedium suarum sacrificium tanta cum laude addiderunt. Invenietis præterea magnum numerum dignorum Ecclesiasticorum, qui nunc primum ad Ecclesiam Dei regandam vocati, laudabili anteactæ vitæ ratione (quemadmodum de iis Nobis relatum est)illud certo pollicentur Ecclesiæ,optimos seGregis ipsorum fidei commissi Pastores esse extituros. Nunnullos etiam denique inter eos reperietis, qui cum in superiori temporum conversione absque Apostolicæ hujus Sedis institutione Archiepiscopales, seu Episcopales Sedes occupatas habuerint, in Unitate Ecclesiæ atque hujus Apostolicæ Sedis non fuerunt; quæ tamen, ut nostis, ab iis ad maternos amplexus revocandis materna charitate numquam destitit. Nolite perturbari, Ven. Fratres. Institutionem eorum ad officia legitimorum Pastorum novarum Diœcesium, quæ iis coucreditæ fuerunt, præcessit ipsorum cum hac Apostolica Sede reconciliatio. Ex Actis, quæ legenda Vobis exhibemus, intelligetis Vos, eos viros necessarium hoc debitum Ecclesiæ persolvisse. Spiritus charitatis, quo Dilecta Christi Sponsa flagrat, effecit, ut in hoc etiam ea benignitate in eos uteremur, qua (incolumi rerum substantia) uti poteramus, ut tanta res, quanta est restitutio Religionis in tam vastisGalliarum regionibus, perfici,et funestissimum Schisma extingui posset. Exempla Nostrorum Prædecessorum, amor pacis, efficacia Gubernii studia, a quo ad concordiam restituendam id postulatum est, nos ad hanc rationem ineundam adduxerunt; cujus facti vehementer in Deo confidimus, cui est integritas mentis

ac studiorum nostrorum perspecta , numquam fore ut Nos pœniteat. Etenim dubitare nolumus quin Pastores hi, quos tanta Nos charitate complexi sumus, singulari, ac Paterna Nostra benignitate legitime novas Sedes obtinentes, in Ovibus ipsorum fidei commissis pascendis, in doctrinæ sanctitate, in morum integritate, in excolenda Vinea Domini, in æmulanda Fratrum suorum vigilantia, in vera fidei, ac charitatis Nobiscum conjunctione, omni pastorali officio sint perfuncturi.

Verum cum optime Vos intelligatis perfectionem tantorum operum ac bonorum, quæ huc usque recensuimus, et quorum consequendorum tanta flagramus cupiditate, a Deo proficisci (etenim *nisi Dominus ædificaverit Domum in vanum laborant qui ædificant eam*,) ad eum Nos convertere in humilitate spiritus et in contritione cordis, Nostrasque preces cum Vestris, atque Ecclesiæ precibus conjungere constituimus, ad illud impetrandum, ut gratias agentes Deo, quod in tam feraci solo Vineam Domini iterum plantare concessit (quod maximum beneficium fuit), illud addat etiam, ut ea, Divina ejus gratia rorante de Cœlo desuper, alte radices agat, crescat, ac fructificet in Domo ejus, a quo uno id impetrandum est. Nam *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*.

Ad eum igitur, Venerabiles Fratres, cum omni fiducia adeamus, ab eo consolationem ac cumulatum gaudium imploremus: ab eo denique postulemus, *ut bonum opus, quod incepit, ipse perficiat*.

Itaque et ad gratias Deo agendas de Religione in Gallia restituta, et ad impetrandum ut in tanta re Vota nostra penitus expleantur, et ad divinam opem pro præsentibus Ecclesiæ necessitatibus implorandam, Thesauros Ecclesiæ reserabimus, et quemadmodum per Cardinalem Legatum Nostrum a Latere in Gallia fecimus, ita hic etiam per Cardinalem Vicarium Nostrum Jubilæum publicabimus, et quæ ad ejus consecutionem peragenda sunt præscribemus.

ALLOCUZIONE

DELLA SANTITÀ DI NOSTRO SIGNORE

PIO PAPA VII.

NEL CONCISTORO SEGRETO

Dei XXIV. Maggio MDCCCII.

VENERABILI FRATELLI.

A quale luttuosa condizione per le interne perturbazioni, dalle quali per molti anni è stata agitata la Francia, fosse ridotta la Religion Cattolica in quelle floridissime Provincie, è noto non che all' Europa, al Mondo intiero, e molto più a Voi, Venerabili Fratelli, che siete stati testimoni, e compagni nelle Apostoliche Nostre cure, siccome prima lo foste in quelle del Nostro Antecessore Pio VI. di felice ricordanza; e sovente colle lagrime agli occhi insieme con Noi avete pregato Dio, che le cose della Chiesa si volgessero al primiero stato, e cessassero sì gravi calamità.

Quelli che erano animati dallo zelo della Religion Cattolica, ritirati nel seno di que' vastissimi paesi, unendo incessantemente in mezzo alle amarezze, e alle sollecitudini le lagrime, e le preghiere loro a quelle di tutti i buoni degli altri Regni, pregavano ardentemente Iddio a placare il suo sdegno, e ad allontanarne i flagelli.

Noi e nel tempo in cui governavamo la Chiesa Imolese, e molto più dacchè, sebbene immeritevoli, fummo collocati su questa Cattedra di Pietro a governar tutta la Chiesa, con quali gemiti non abbiam pregato, che sì gravi danni della Casa di Dio, sì gravi perdite di Anime che di giorno in giorno correvano a certa morte avessero fine!

E' piaciuto finalmente al Signore Iddio Padre delle Misericordie di esaudire le comuni preghiere; e dispose che il Perso-

naggio Illustre, al quale la Francia è debitrice non meno de' suoi trionfi, che della sua prosperità, quiete, e pace, concepisse il pensiero, e lo mandasse ad effetto (dal che più che da ogni altra cosa ne riporterà presso i posteri la maggior celebrità) il pensiero cioè che si restituisse a tanti millioni d'uomini, quanti ne contiene la Francia, l' antica Religione de' loro avi, e si ristabilissero insieme colla Religione i veri e solidi fondamenti della loro felicità. Noi qui, come ben v'accorgete, v'indichiamo il Primo Console della Republica Francese Napulione Bonaparte. Egli riflettendo nella sua saviezza, che la vera felicità e la tranquillità di una sì gran Nazione dipende onninamente dal ristabilimento della Religion Cattolica, venne incontro spontaneamente alle Nostre brame; e con premure degne del suo talento e del suo cuore ci significò che desiderava di trattar con Noi sul modo per cui col ristabilimento della Religione Cattolica in Francia potesse unitamente richiamarsi quella felicità, che per le vicende sì luttuose de' tempi n' era stata tolta.

Lo sa Iddio, lo sapete Voi pure, VV. FF. che siete stati assidui Compagni, e partecipi delle Paterne Nostre sollecitudini, con quanta alacrità ci siamo prestati a sì grande, e salutare impresa; Voi sapete quante cure ci siamo addossate, quanti ostacoli abbiam vinti, con quale zelo non abbiamo mai allontanati da essa gli occhi nè la mente, per trovar le maniere onde poter condurla al fine desiderato.

Si è reso finalmente propizio alle Nostre sollecitudini lo stesso Dio delle misericordie, e col potente di lui ajuto è succeduta a tanti tristi giorni di procelle una aurora di Pace, annunziatrice della desiderata serenità. Avendo Noi osservato, che il Bene della Chiesa, e dell'Unità richiedeva da Noi che dilatando le Paterne viscere della Nostra carità stendessimo l'Autorità Apostolica a quelle cose che si riconoscessero necessarie al ristabilimento della Religione nella Francia, fu fatta tra Noi, e il Primo Console della Repubblica Francese un Concordato, consistente in diciasette Articoli. Esso fu sottoscritto e firmato tanto dai Nostri Plenipotenziarj, muniti delle Nostre Istruzioni, e facoltà, quanto dai Plenipotenziarj della Repubblica Francese il dì 15. di Luglio del decorso anno 1801.

Il tenore dei diciasette Articoli fu poscia di nuovo considerato, e richiamato da Noi ad esame insieme con Voi prima che venissero ratificati colla Nostra sottoscrizione, e da essa ricevessero la loro forza ed autorità. Dopo ciò affrettando co' No-

stri continui desiderj il ristabilimento della Religion Cattolica; la quale è sempre stata il solo oggetto delle nostre viste, senza alcun ritardo per la parte Nostra, nel dì 15. Agosto dello stesso anno, giorno consagrato alla SS. Vergine Madre di Dio Assunta in Cielo, Protettrice della Francia, fu trasmessa in Francia la Costituzione Apostolica, nella quale si contengono gli enunciati diciasette Articoli, acciocchè ivi a seconda del Nostro vivissimo desiderio fosse promulgata più sollecitamente che fosse possibile.

Non molto tempo dopo ad oggetto di condurre al bramato fine il ristabilimento della Cattolica Religione, non tralasciammo di emanare altre Lettere in forma di Breve, altre Costituzioni Apostoliche. Provvedemmo alla circoscrizione delle nuove Diocesi, alla Institution Canonica da darsi da Noi ai novelli Vescovi delle medesime, al riconciliare alla Chiesa i traviati, al munire delle necessarie facoltà il Nostro Legato a Latere il Diletto Figlio Nostro Giambattista Cardinal Caprara, inviato da Noi in Francia all'oggetto di tanto interessanti affari; provvedemmo in fine a tutte quelle cose, che giudicammo essere o necessarie, o opportune, a compire questa santissima opera. Noi vi mettiamo sotto degli occhi, VV. FF. gli atti da Noi o immediatamente, o mediatamente emanati per questo oggetto. Li leggerete nella Collezzione, che d'ordine Nostro è stata quì impressa, e in essa troverete le cose che in questo affare sono state operate da questa Sede Apostolica, e nelle quali ha Essa avuto parte.

Giunse alla fine il giorno tanto sospirato della promulgazione del Concordato predetto, e con tal giorno giunse il momento di ristabilire in Francia la Religion Cattolica. Il Nostro Cardinal Legato a Latere fu ricevuto con solenne pompa dal Governo della Repubblica Francese, dal quale furono date le più luminose dimostrazioni di ossequio, di onore, di riverenza verso questa Sede Apostolica, come era stato pratticato in Francia nelle Legazioni antecedenti. E il Nostro Legato per la parte sua si è studiato di corrispondere alla fiducia che il Governo avea dichiarato di avere in Esso nell'ammetterlo alle funzioni di tal gravissimo Incarico. Egli consapevole dei Nostri sentimenti, tutti diretti alle sole cose Spirituali, ed a ristabilire in Francia la Religione, rassicurò il Governo, che nell'esercizio della sua Legazione non sarebbesi attentato mai contro i diritti del Governo, e della Nazione, gli Statuti, e

le consuetudini della Repubblica, e che Egli continuerebbe nell'Incarico medesimo a beneplacito del Governo; come dalla enunziata Collezzione potete conoscere.

In seguito di questa cerimonia solenne, nel giorno consacrato alla Redenzione del genere umano furono promulgati colla maggior solennità e pompa i diciasette Articoli del Concordato tra questa Sede Apostolica, e il Governo Francese. Fu promulgata parimenti la Nostra Costituzione Apostolica, nella quale i medesimi sono compresi, e da Noi si ratificano. I Consoli della Repubblica Francese unitamente agli altri Magistrati del Governo col più magnifico corredo della loro grandezza e potenza assistettero alle auguste cerimonie di quella Religione che Essi professano, e ringraziarono solennemente Dio del grandissimo beneficio fatto alla Francia nell' averle ridonata la Religione Cattolica, e con essa la pace con tutto il Mondo.

Dopo questo avventurosissimo giorno qual nuovo aspetto non presenta la Francia al Mondo intero! Vi si veggono i Templi dell'Altissimo un'altra volta aperti, e segnato nei Frontespizj dei medesimi l' augusto Nome di Dio, e de' suoi Santi; i Ministri del Santuario radunati di nuovo coi Fedeli intorno agli Altari per offrire il Sagrificio a Dio; le Pecorelle di bel nuovo riunite sotto Pastori legittimi; i Sacramenti della Chiesa di bel nuovo amministrati liberamente e con riverenza; l'esercizio pubblico della Religione Cattolica solidalmente stabilito; il Capo Supremo della Chiesa, in union del quale chiunque non raccoglie, disperge, riconosciuto solennemente; lo Stendardo della Croce inalberato di nuovo; il giorno del Signore nuovamente santificato; e finalmente rimosso, e tolto uno Scisma luttuosissimo, dal quale e per la vasta estensione della Francia, e per la celebrità delle Popolazioni e delle Città che la compongono, erano da temersi grandemente infiniti mali alla Religione Cattolica. Questi ed altri grandi e salutari beni recò quel mentovato giorno, de' quali Noi dobbiamo onninamente rallegrarci e goderne nel Signore.

Godiamone dunque, VV. FF., e godiamone con quella letizia, con cui l' amore della Religione, e le premure del bene spirituale di tante Anime giustamente ci comandano di goderne. E poichè ogni bene viene da Dio, e specialmente questo si dee riconoscere da Lui solo (giacchè senza la Divina Sua misericordia, e senza il potentissimo suo ajuto non avrebbero mai potuto vincersi sì grandi ostacoli e difficoltà, che è

stato assolutamente necessario vincere, affinchè le cose tornar potessero a quello stato dal quale si erano di sì gran lunga allontanate) è Nostro volere, che da noi ricolmati di quei benefizj che abbiamo narrati di sopra, essendo prossimi a celebrare la solennità della gloriosa Ascensione del nostro Divino Riparatore ed Autore di quella Santissima Religione che ora di nuovo è stabilita in Francia, gli si rendano solenni azioni di grazie pe' mentovati beni che col di Lui ajuto abbiamo conseguiti mediante la promulgazione della predetta Nostra Costituzione, e degli Articoli del Concordato contenuti nella medesima.

Non siamo però ricolmi di gaudio e di letizia in modo, VV. FF., che niuna cosa si presenti agli occhi nostri, la quale non ecciti la nostra sollecitudine, e non esigga le nostre cure, come ci impongono gli obblighi del nostro dovere. Della qual sollecitudine però confidiamo di essere liberati dalla saviezza e religione del Primo Console, e della Nazion Francese, la quale ed è stata pel corso di tanti Secoli sommamente benemerita della Religione Cattolica, ed ora che questa è di nuovo ristabilita nel seno della Francia, l' abbraccia con tanta alacrità. Abbiamo osservato che unitamente al predetto nostro Concordato sono stati promulgati alcuni altri Articoli a Noi ignoti, i quali, camminando Noi sulle traccie de' Nostri Predecessori, non possiamo non desiderar grandemente che ricevano opportune e necessarie modificazioni e cambiamenti, Noi certamente interporremo con ogni premura i Nostri officj presso il Primo Console, onde ottenerlo dalla di Lui religione. Non è senza fondamento che Noi abbiam fiducia di conseguirlo sì da Lui, che dalla perspicace e saggia Nazion Francese. Poichè il Governo Francese nel ristabilire la Religione Cattolica, nel riconoscerne la santità e l' utilità, non può non volere, che abbiano esecuzione quelle cose che esige la costituzione santissima della ristabilita Religione, e che tutto vada d' accordo pienamente con quella disciplina salutare, che dalle Leggi della Chiesa è stata stabilita.

Tolga Iddio, nè mai permetta che alcun desiderio di temporale interesse, alcuna voglia d' invader cosa che non appartenga alla Chiesa, entri nel Nostro cuore medesimo, o in quello de' Pastori, che Cristo ha sottoposti alla Nostra Autorità. Ci stia sempre dinanzi agli occhi quel detto Divino, *ciò che è di Cesare, a Cesare, ciò che è di Dio, a Dio*. Noi in

questo saremo sempre d'esempio a tutti, e procureremo, che i Vescovi, e gli altri che si affaticano nella Vigna del Signore secondo la vocazione con cui sono stati chiamati, si dimostrino e colle parole, e col fatto intenti ai soli doveri della Religione, alla sola salute delle Anime a loro affidate, e senza immischiarsi nelle cose, che ad essi non spettano, non somministrino alcun pretesto ai nemici della Religione di calunniarne i Ministri. Noi con tutto lo zelo li esorteremo, che stando essi strettamente attaccati agli insegnamenti de' Santi Apostoli, che sono i nostri Maestri, inculchino non solo con le parole, ma eziandio cogli esempj la dovuta obbedienza alle Civili Potestà, per cui i Cristiani nel primo nascere della Chiesa erano riputati Esemplari di sommessione, e di fedeltà ai loro Superiori.

Resta, Venerabili Fratelli, che v' informiamo de'Pastori, che sono stati preposti a governare le Diocesi della Francia nel nuovo ristabilimento delle medesime. Riconoscerete, che tra Essi v' ha un non scarso numero di que' vigilantissimi Pastori, i quali prima della nuova Circoscrizione delle Diocesi, e prima de' recenti cambiamenti seguiti nella Francia, conservatisi costantemente attaccati al Centro dell' Unità, cioè a questa S.Sede, hanno aggiunto con tanta loro lode (essendone stati pregati da Noi, perchè così esigeva il bene della Chiesa) il volontario Sagrifizio delle loro Sedi ai più luminosi esempj di fede, di pazienza, di pastoral vigilanza, di ogni virtù. Troverete inoltre un numero grande di degni Ecclesiastici, i quali chiamati ora per la prima volta a reggere la Chiesa di Dio, col lodevole tenore della decorsa loro vita (secondochè ci è stato riferito) danno alla Chiesa una fondata fiducia, che saranno ottimi Pastori della Greggia a loro commessa. Ne troverete finalmente anche alcuni tra essi, i quali nella passata rivoluzione di tempi avendo occupate le Arcivescovili, o Vescovili Sedi senza la istituzione di questa S. Sede Apostolica non sono stati nell' Unità della Chiesa, e di questa Santa Sede, la quale però, come sapete, non ha lasciato mai colla materna sua carità di richiamarli a' suoi materni amplessi. Non vi conturbate, Venerabili Fratelli. La loro Istituzione all' Officio di legittimi Pastori delle nuove Diocesi che sono state ad essi commesse, è stata preceduta dalla loro riconciliazione con questa Sede Apostolica. Dagli Atti che vi presentiamo a leggere, vedrete che tali Soggetti hanno soddisfatto a questo necessario dovere colla Chiesa,

Lo spirito di carità, del quale è accesa la diletta Sposa di Cristo, ha fatto che anche in questo usassimo verso di essi di quella benignità di cui (salva la sostanza delle cose) ci era permesso di usare, affinchè un affare tanto interessante quanto lo è il ristabilimento della Religione nelle tanto vaste Provincie della Francia, potesse condursi al termine, e si potesse spegnere un funestissimo Scisma. Gli esempj de' Nostri Predecessori, l'amor della pace, le efficaci premure del Governo, dal quale si è domandata questa cosa a fine di ristabilire la concordia, ci hanno indotti a usare di questa misura, del qual fatto siam pieni di fiducia in Dio, al quale è nota la purità della Nostra intenzione, e de' nostri desiderj, che non sarà mai che abbiamo a pentirci. Poichè non vogliamo dubitare, che questi Pastori che Noi con tanta carità abbiamo abbracciati, trovandosi per Nostra singolare Paterna benignità legittimamente assisi nelle nuove Sedi, non abbiano ad adempire ogni loro Pastorale dovere nel pascere le Pecore ad essi affidate, nella santità della Dottrina, nella purità de' costumi, nella coltura della Vigna del Signore, nell' emulare la vigilanza de' loro Fratelli, nella vera unione di fede, e di carità con Noi.

Ma perchè Voi comprendete benissimo che il compimento di opere e beni sì grandi, quali son quelli che abbiamo esposti fin qui, e del conseguimento dei quali siamo accesi di un desiderio sì vivo, dipende da Dio, (mentre *se il Signore non edifica la Casa, indarno si affaticano quelli che l'edificano*), abbiamo determinato di rivolgerci a Lui nell' umiltà dello spirito, e nella contrizione del cuore, e di unire le Nostre preghiere alle Vostre, ed a quelle della Chiesa, per impetrare, che mentre ringraziamo Dio d'aver fatta la grazia di piantar di nuovo la Vigna del Signore in sì fertil suolo, (lo che è stato un benefizio grandissimo), aggiunga l'altra ancora, che la Vigna stessa innaffiata superiormente dal Cielo colla rugiada della sua Divina grazia, metta profonde radici, cresca, e fruttifichi nella Casa di Lui, da cui solo può impetrarsi. Perchè, *nè chi pianta, nè chi innaffia, val nulla; ma chi fa crescere, che è Dio*.

A Lui dunque andiamo, Venerabili Fratelli, con tutta la fiducia, da Lui imploriamo la consolazione e il pieno gaudio: a Lui chiediamo insomma, *che compia egli stesso la buona opera che ha cominciata*.

Onde e per ringraziar Dio del ristabilimento della Religion Cattolica in Francia, e per impetrare che in un affare sì gran-

de i Nostri Voti vengano pienamente appagati, e per implorare il Divino ajuto per le presenti necessità della Chiesa, Noi apriremo i Tesori di Essa, e come abbiamo fatto in Francia per mezzo del Nostro Cardinal Legato a Latere, così anche qui per mezzo del Nostro Cardinal Vicario publicheremo un Giubileo, e prescriveremo le cose che dovranno pratticarsi per conseguirlo.

IN ROMA MDCCCII.

PRESSO LAZZARINI.

CONVENTIO

Inter Sanctissimum Dominum Nostrum

PIUM PAPAM SEPTIMUM,

ET

GUBERNIUM GALLICANUM.

Sanctitas Sua Summus Pontifex Pius VII., atque Primus Consul Gallicæ Reipublicæ in suos respectivè Plenipotentiarios nominarunt

Sanctitas Sua Eñum Dominum Herculem Consalvi S. R. E. Cardinalem Diaconum S. Agathæ ad Suburram suum a Secretis Status; Josephum Spina Archiepiscopum Corinthi, S. S. Prælatum Domesticum, ac Pontificio Solio assistentem; & Patrem Caselli Theologum Consultorem S.S. pariter munitos facultatibus in bona & debita forma.

Primus Consul Cives Josephum Bonaparte Consiliarium Status, Cretet Consiliarium pariter Status, ac Bernier Doctorem in S. Theologia, Parochum S. Laudi Andegavensis plenis facultatibus munitos.

Qui post sibi mutuo tradita respectivæ Plenipotentiæ

Sa Sainteté le Souverain Pontife Pie VII., et le Prémiér Consul de la République Française ont nommé pour leurs Plenipotentiaires respectifs

Sa Saintété Son Eminence Monseigneur Hercule Consalvi, Cardinal de la Sainte Eglise Romaine, Diacre de S. Agathe *ad Suburram* son Secrétaire d' Etat; Joseph Spina Archevêque de Corinthe Prelat Domestique de Sa Sainteté, assistant du trone Pontifical; et le Pere Caselli, Theologien Consultant de Sa Sainteté pareillement munis des pouvoirs en bonne, et düe forme.

Le Prémier Consul les Citoyens Joseph Bonaparte Conseiller d' Etat, Cretet Conseiller d' Etat, et Bernier Docteur en Theologie, Curé de S. Laud d' Angers munis de pleins pouvoirs.

Les quels aprés l' echange des pleins pouvoirs res-

Instrumenta, de iis quæ sequuntur convenerunt.

CONVENTIO

Inter Summum Pontificem Pium VII. et Gubernium Gallicanum.

Gubernium Reipublicæ recognoscit Religionem Catholicam Apostolicam Romanam eam esse Religionem, quam longe maxima pars Civium Gallicanæ Reipublicæ profitetur.

Summus Pontifex pari modo recognoscit eamdem Religionem maximam utilitatem, maximumque decus percepisse, et hoc quoque tempore præstolari ex Catholico cultu in Gallia constituto, nec non ex peculiari ejus professione quam faciunt Reipublicæ Consules.

Hæc cum ita sint, atque utrinque recognita, ad Religionis bonum, internæque tranquillitatis conservationem, ea quæ sequuntur inter ipsos conventa sunt.

ART. 1.

Religio Catholica Apostolica Romana libere in Gallia exercebitur: Cultus publicus erit, habita tamen ratione Ordinationum quoad politiam, quas Gubernium pro publica tranquillitate necessarias existimabit.

pectifs ont arreté la Convention suivante.

CONVENTION

Entre Sa Sainteté Pie VII. et le Gouvernement François.

Le Gouvernement de la République reconnoit que la Religion Catholique Apostolique et Romaine est la Religion de la grande majorité des Citoyens Français,

Sa Sainteté reconnoit également que cette même Religion à retiré, et attend encore en ce moment le plus grand bien et le plus grand éclat de l'etablissement du culte Catholique en France, et de la Profession particuliere qu'en font les Consuls de la République.

En consequence d'après cette reconnoissance mutuelle, tant pour le bien de la Religion, que le maintien de la tranquillité interieure il sont convenus de ce qui suit.

ART. 1,

La Religion Catholique, Apostolique et Romaine sera librement exercée en France: son culte sera public, en se conformant aux reglemens de Police que le Gouvernement jugera necessaires pour la tranquillité publique.

ART. 2.

Ab Apostolica Sede, collatis cum Gallico Gubernio consiliis, novis finibus Galliarum Diæceses circumscribentur.

ART. 2.

Il sera fait par le S. Siege de concert avec le Gouvernement une nouvelle circonscription des Dioceses Français.

ART. 3.

Summus Pontifex Titularibus Gallicarum Ecclesiarum Episcopis significabit se ab iis pro bono pacis et Unitatis omnia Sacrificia firma fiducia expectare, eo non excepto quod ipsas suas Episcopales Sedes resignent.

Hac hortatione præmissa, si huic Sacrificio quod Ecclesiæ bonum exigit renuere ipsi vellent (fieri id autem posse Summus Pontifex suo non reputat animo) Gubernationibus Gallicarum Ecclesiarum novæ circumscriptionis de novis Titularibus providebitur eo qui sequitur modo.

ART. 3.

Sa Sainteté declarera aux Titulaires des Evêchés Français qu' elle attend d' eux avec une ferme confiance pour le bien de la paix et de l' Unité toute espece de Sacrifice, même celui de leurs Sieges.

D'aprés cette exhortation, s' ils se refusoient a ce Sacrifice commandé par le bien de l' Eglise (refus neanmoins au quel Sa Sainteté ne s'attend pas) il sera pourvu par de nouveaux Titulaires au Gouvernement des Evêchés de la circonscription nouvelle de la maniere suivante.

ART. 4.

Consul Primus Gallicanæ Reipublicæ intra tres Menses, qui promulgationem Constitutionis Apostolicæ consequentur, Archiepiscopos et Episcopos novæ circumscriptionis Diæcesibus præficiendos nominabit. Summus Pontifex Institutionem Canonicam dabit, juxta formas relate ad Gallias ante Regiminis commutationem statutas.

ART. 4.

Le Premier Consul de la Republique nommera dans les trois Mois, qui suivront la publication de la Bulle de Sa Sainteté, aux Archevêchés, & Evêchés de la circonscription nouvelle. Sa Sainteté conferera l' Institution Canonique suivant les formes établies par rapport à la France avant le changement du Gouvernement.

ART. 5.

Item Consul Primus ad Episcopales Sedes quæ in posterum vacaverint novos Antistites nominabit, iisque, ut in Articulo præcedenti constitutum est, Apostolica Sedes Canonicam dabit Institutionem,

ART. 6.

Episcopi antequam munus suum gerendum suscipiant, coram Primo Consule juramentum fidelitatis emittent quod erat in more ante regiminis commutationem, sequentibus Verbis expressum

„ Ego juro et promitto ad
„ Sancta Dei Evangelia obe-
„ dientiam, et fidelitatem
„ Gubernio per Constitu-
„ tionem Gallicanæ Reipu-
„ blicæ statuto. Item pro-
„ mitto me nullam commu-
„ nicationem habiturum,
„ nulli consilio interfutu-
„ rum, nullamque suspectam
„ unionem, neque intra,
„ neque extra conservatu-
„ rum, quæ tranquillitati
„ publicæ noceat, et si tam
„ in Diæcesi mea, quam ali-
„ bi, noverim aliquid in
„ Status damnum tractari,
„ Gubernio manifestabo „.

ART. 7.

Ecclesiastici Secundi Ordinis idem juramentum emit-

ART. 5.

Les nominations aux Evêchés qui vaqueront dans la suite seront egalement faites par le Premier Consul, & l'Institution Canonique sera donnée par le S. Siege en conformité de l'Article precedent,

ART. 6.

Les Evêques avant d'entrer en fonctions prêteront directement entre les mains du Premier Consul le serment de fidelité qui étoit en usage avant le changement du Gouvernement exprimé dans les termes suivans

„ Je jure et promets a Dieu
„ sur les Saints Evangiles
„ de garder obeissance et
„ fidelité au Gouvernement
„ établi par la Constitution
„ de la Republique Françai-
„ se. Je promets aussi de
„ n'avoir aucune intelligen-
„ ce, de n' assister à aucun
„ Conseil, de n' entretenir
„ aucune ligne soit au de-
„ dans, soit au dehors, qui
„ soit contraire à la tranquil-
„ lité publique, et si dans
„ mon Diocese ou ailleurs,
„ j' apprens qu' il se trame
„ quelque chose au prejudice
„ de l'État, je le ferai savoir
„ au Gouvernement „.

ART. 7.

Les Ecclesiastiques du second ordre prêteront le mê-

tent coràm Auctoritatibus Civilibus a Gallicano Gubernio designatis.

ATR. 8.

Post Divinæ Officia in omnibus Catholicis Galliæ Templis sic orabitur

„ Domine salvam fac „ Rempublicam

„ Domine salvos fac Con„ sules.

ART. 9.

Episcopi in sua quisque Diœcesi novas Paræcias circumscribent; quæ circumscriptio suum non sortietur effectum, nisi postquam Gubernii consensus accesserit.

ART. 10.

Iidem Episcopi ad Parœcias nominabunt, nec Personas seligent nisi Gubernio acceptas.

ART. 11.

Poterunt iidem Episcopi habere unum Capitulum in Cathedrali Ecclesia, atque unum Seminarium in sua quisque Diœcesi sine Dotationis obligatione ex parte Gubernii.

ART. 12.

Omnia Templa Metropolitana, Cathedralia, Parochialia, atque alia quæ non alienata sunt, cultui neces-

me serment entre les mains des Autorités Civiles designées par le Gouvernement.

ART. 8.

La formule de priere suivante sera recitée à la fin de l' Office Divin dans toutes les Eglises Catholiques de France

„ Domine &c.

„ Domine &c.

ART. 9.

Les Evêques feront une nouvelle circonscription des Paroisses de leurs Dioceses, qui n'aura d'effet que d'aprés le consentement du Gouvernement.

ART. 10.

Les Evêques nommeront aux Cures. Leur choix ne pourra tomber que sur des Personnes agrées par le Gouvernement.

ART. 11.

Les Evêques pourront avoir un Chapitre dans leur Cathedrale, et un Seminaire pour leurDiocese sans que leGouvernement s' oblige a les doter.

ART. 12.

Toutes les Eglises Metropolitaines, Cathedrales, Paroissiales et autres non aliénées necessaires au Culte se-

saria, Episcoporum dispositioni tradentur.

ART. 13.

Sanctitas Sua pro pacis bono, felicique Religionis restitutione, declarat eos qui bona Ecclesiæ alienata acquisiverunt, molestiam nullam habituros neque a Se, neque a Romanis Pontificibus Successoribus suis, ac consequenter proprietas eorumdem bonorum, redditus et jura iis inhærentia immutabilia penes ipsos erunt, atque ab ipsis causam habentes.

ART. 14.

Gubernium GallicanæReipublicæ in se recipit tum Episcoporum, tum Parochorum, quorum Diœceses atque Parochias nova circumscriptio complectetur, sustentationem, quæ cujusque statum deceat.

ART. 15.

Idem Gubernium curabit ut Catholicis in Gallia liberum sit, si libuerit, Ecclesiis consulere novis fundationibus.

ART. 16.

Sanctitas Sua recognoscit in Primo Consule Gallicanæ Reipublicæ eadem jura ac

ront mises a la disposition des Evêques.

ART. 13.

Sa Sainteté pour le bien de la paix et l'heureux retablissement de la Religion Catholique declare, que ni Elle, ni ses Successeurs ne troubleront en aucune maniere les acquereurs des Biens Ecclesiastiques aliénés; et qu'en consequence la proprieté de ces mêmes biens, les Droits et revenus y attachés demeureront incommutables entre leurs mains, ou celles de leur ayant cause.

ART. 14.

Le Gouvernement assurera un traitement convenable aux Evêques et aux Curés, dont les Dioceses, & les Cures seront compris dans la circonscription nouvelle.

ART. 15.

Le Gouvernement prendra ègalement des mesures pour que les Catholiques Français puissent, s'ils le veulent, faire en faveur des Eglises des fondations.

ART. 16.

Sa Saintetè reconnoit dans le Premier Consul de la République Française les mê-

privilegia quibus apud Sanctam Sedem fruebatur antiquum Regimen.

ART. 17.

Utrinque conventum est, quod in casu quo aliquis ex Successoribus hodierni Primi Consulis Catholicam Religionem non profiteretur, super Juribus ac privilegiis in superiori Articulo commemoratis, nec non super nominatione ad Archiepiscopatus, et Episcopatus, respectu ipsius nova conventio fiet.

Ratificationum traditio Parisiis fiet quadraginta dierum spatio.

Datum Parisiis die decimaquinta Mensis Julii 1801.

mes droits, et prerogatives dont jouissoit pres d'Elle l'ancien Gouvernement.

ART. 17.

Il est convenu entre les parties Contractantes, que dans le cas ou quelqu'un des Successeurs du Premier Consul actuel ne seroit pas Catholique, les Droits et prerogatives mentionnés dans l'Article cy dessus, et la Nomination aux Evechès seront reglés par rapport a lui par une nouvelle Convention.

Les ratifications seront echangées a Paris dans l'espace de quarante jours.

Fait a Paris le vingt six Messidor de l'An Neuf de la République Française.

Hercules Cardinalis Consalvi.
Joseph Bonaparte.
Joseph Archiepiscopus Corinthi.
Cretet.
Fr. Carolus Caselli.
Bernier.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII PAPÆ SEPTIMI

LITTERÆ APOSTOLICÆ

Quibus antedicta Conventio confirmatur.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam

Ecclesia Christi, quam ut Civitatem Sanctam Hierusalem novam descendentem de Cælo a Deo vidit Joannes, inde potissimum suam repetit firmitatem, cæteraque ornamenta, quibus prædita consurgit, quod nedum Sancta, Catholica, et Apostolica, sed et una sit, super unius soliditate petræ fundata. Ex firma et constanti Membrorum Ecclesiæ omnium unione in eadem fide, in iisdem Sacramentis, in iisdem vinculis Charitatis, in subjectione atque obsequio omnium legitimo Capiti, tota vis illa, ac pulchritudo est, qua hujus mysticum Corpus nobilitatur, ac præstat. Quod decus ejus præcipuum ac singulare Redemptor Noster cum et ejus proprium esse, & conservari usque ad consumationem Sæculi maxime voluerit in eadem Ecclesia, quam acquisivit sanguine suo, antequam ad Patrem ascenderet memorandis illis verbis sic pro ea oravit: *Pater Sancte, serva eos quos dedisti mihi, ut sint sicut et nos . . . . ut omnes unum sint, sicut Tu Pater in Me, et Ego in Te, ut et ipsi in Nobis unum sint.*

Hæc Nos animo cogitantes simul ac inscrutabili Divinæ Providentiæ consilio ad Supremum Apostolatus Apicem, licet indigni, vocati fuimus, statim convertimus oculos Nostros *ad Populum acquisitionis, solliciti servare unitatem in vinculo pacis*, Galliasque potissimum intuentes, magnitudine Regionum, Populorum frequentia, ac Religionis gloria multis jam Sæculis commendatissimas, maximo dolore affecti sumus cum animadverterimus Re-

giones ipsas, quæ tamdiu Ecclesiæ decus ac deliciæ extitissent, postremis hisce temporibus intestinis perturbationibus adeo exagitatas fuisse, ut maximum Religio detrimentum exinde acceperit, cujus causa recolendæ Memoriæ Pius VI. Decessor Noster tot, tantasque curas impendit. Nolumus Nos hic commemoratione malorum ea vulnera refricare, quæ Divina Providentia nunc sanare properat. Quibus Nos divina ope adjuti cum opportuna remedia adhibere maxime cuperemus, illud jampridem Apostolicis Nostris litteris die decima quinta Maij Superioris Anni ad universos Episcopos datis professi sumus, *nihil optatius contingere Nobis posse, quam vitam pro Filiis Nostris, qui sunt Galliæ Populi profundere, si eorum salus posset interitu Nostro repræsentari*.

Ad ea a Patre Misericordiarum impetranda cum indesinenter preces nostræ lacrimæque in maxima animi ægritudine profunderentur, *Deus totius consolationis, qui consolatur Nos in omni tribulatione Nostra*, recordatus misericordiæ suæ respicere dignatus est dolorem Nostrum, ac admirando providentiæ suæ consilio nec opinantibus Nobis aditum aperuit, quo Nos et tantis malis occurrere, et Ecclesiæ unitatem, et charitatem, quam *antiquus humani generis hostis superseminans zizania super mysticum Ecclesiæ agrum* dissolvere, atque extinguere conatus erat, constabilire iterum, ac revocare possemus.

Siquidem ille Dominus, *qui dives est in misericordia, cogitat consilia pacis et non afflictionis*, Illustrem Virum, penes quem summa nunc Gallicanæ Reipublicæ est Administratio, eâdem cupiditate finem tot malis imponendi inflammavit, ut ejus ope in abundantia pacis, Religione restituta, bellicosissima illá Natio ad unicum Fidei centrum revocaretur.

Vix Carissimus in Christo Filius Noster Naupoleon Bonaparte Consul Primus Reipublicæ Gallicanæ sibi gratum fore testificatus est, ut tractatio iniretur, vi cujus Religionis Cultus in Gallia, Deo adjuvante, feliciter restitueretur, gratias egimus Deo, cujus unius misericordiæ hoc Nos beneficium acceptum referebamus. Itaque ne Nostro Muneri, ac studiis ejusdem Primi Consulis deessemus, statim Venerabilem Fratrem Archiepiscopum Corinthi ad ineundam tanti hujus Negotii tractationem misi-

mus. Qui cum Parisios venisset, multis hinc inde discussis atque animadversis, tandem misit ad Nos Articulos quosdam sibi propositos.

Ad quos diligenter expendendos Nos omni studio Animum adjicientes, sententiam etiam audire voluimus Congregationis VV. FF. Nostrorum S. R. E. Cardinalium, qui ad mentem suam de tota hac causa Nobis aperiendam sæpe coram Nobis congregati, et voce et scripto quid sentirent Nobis significaverunt.

Cum autem in re tanti momenti illud præcipue, ut decebat, curandum existimaverimus, ut vestigia Pontificum Prædecessorum Nostrorum sequeremur, propterea repetentes memoria ea, quæ ab iisdem facta fuerant in extraordinariis temporum difficillimorum Casibus, cum gravissimæ Populorum perturbationes exortæ intestinis motibus maximas Nationes agitarunt, plura, gravia, et luctuosa accidisse comperimus, quæ ante oculos nostros posita, qua agendi ratione uti possemus Nobis aliquomodo indicarent.

Igitur antedictæ Congregationis VV. FF. Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sententia cognita, post sedulam considerationem propositæ Conventioni, qua ratione potuimus, duximus annuendum, atque Apostolicam Potestatem ad ea omnia proferre, quæ extraordinariæ temporum rationes, atque bonum pacis et unitatis Ecclesiæ a Nobis postulaverunt.

Quin imo adeo ingenti exarsimus desiderio Galliæ ad unitatem Sanctæ Sedis feliciter revocandæ, ut cum allatum ad Nos esset nonnullas formas propositæ Conventionis, quam ad Ven. Fratrem Archiepiscopum Corinthi remisimus, ea interpretatione explicari, ut Gallicæ Reipublicæ circumstantiis non aptæ viderentur, atque exoptatæ unioni moram aliquam possent inferre, molestissimè Animo Nostro id ferentes, Lutetias mittere statuimus Dilectum in Christo Filium Nostrum Herculem S. Agathæ ad Suburram Diaconum Cardinalem Consalvi, atque a Secretis Nostri Status, qui (utpóte unus ex eorum numero, quos ad hanc rem congregatos in consilium adhibuimus, quique lateri Nostro continuo in suo munere adhæret) optime omnium et expositarum rerum intelligentiam, et veros Animi Nostri sensus poterat explicare, eam etiam

illi facultatem impertientes, ut ubi necessitas postularet, in antedictis formis eas mutationes induceret, quæ definitarum a Nobis rerum substantiam integram retinentes, illarum executionem quam celerrimam redderent, et faciliorem viam sternerent Conventioni.

Quæ cum a Nobis commissa feliciter Deo favente sint peracta, indeque ab eo una cum Ven. Fratre Nostro Archiepiscopo Corinthi, ac Dilecto Filio Fr. Carolo Caselli Ordinis Servorum Mariæ Ex-Generali ex Nostra parte, et Dilectis in Christo Filiis Josepho Bonaparte, et Emanuele Cretet Consiliariis Status, nec non Dilecto in Christo Filio Presbytero Stephano Bernier Parocho S. Laudi Andegavensis ex parte Gallicani Regiminis, Conventio inter Nos ipsumque Galliarum Regimen Parisiis signata sit, hæc a Nobis adhibitis in Consilium VV. Fratribus S. R. E. Cardinalibus, perscrutata diligenter, atque examini supposita cum talis reperta sit, ut Nostra approbatione confirmari possit, Nos nulla amplius mora interposita per Apostolicas has litteras nota facimus ea omnia, quæ a Nobis constituta, concessaque sunt ad Religionis bonum, internæque Galliarum tranquillitatis conservationem consequendam, atque ad properandam illam tamdiu optatam pacem, ac unitatem, qua Ecclesia Sancta in Domino gaudeat atque lætetur.

Atque illa inprimis a Gallicano Regimine solemnis facta est declaratio, nimirum recognoscere se Religionem Catholicam, Apostolicam, Romanam eam esse Religionem, quam longe maxima Gallorum Civium pars profitetur. Neque vero haud dissimili modo Nos ipsi recognovimus ex Catholico Cultu in Gallia constituto, nec non ex particulari ejus professione, quam faciunt Reipublicæ Consules, eamdem Religionem maximam utilitatem, maximumque decus percepisse, et hoc quoque tempore præstolari.

Quibus ita se habentibus, illud præ omnibus constitutum est, ut Religio Catholica Apostolica Romana libere in Gallia exerceatur. Illud etiam sancitum est, ut publicus sit illius Cultus, habita tamen ratione Ordinationum quoad Politiam, quas Regimen pro publica tranquillitate necessarias existimabit.

Deinde cum illud maxime necessarium esse comper-

tum sit, ut de Episcopalibus Sedibus ratio haberetur; hinc cum Gallicanum Regimen novam fieri Gallicarum Diœcesium Circumscriptionem se cupere Nobis significaverit, collatis cum eo consiliis nova a Nobis Gallicarum Diœcesium Circumscriptio fiet; quæ mutua voluntatis conjunctione ita perficietur, ut spiritualibus Catholicorum necessitatibus consultum sit.

Et quoniam tum propter novam hanc ipsam Diœcesium Circumscriptionem, tum propter alias gravissimas causas omnia impedimenta removenda sunt, quæ tanto operi perficiendo adversari possunt, propterea Nos justæ persuasioni innixi Gallicarum Ecclesiarum Titulares Episcopos ita animo esse comparatos, ut eidem Religioni omnia Sacrificia, ac vel ipsam Suarum Sedium resignationem litare non sint detrectaturi (quod jamdiu quamplurimi inter ipsos numquam satis commendandis litteris ad rec. me. Prædecessorem Nostrum datis die 3. Maij 1791. ultro obtulerunt) prædictos Titulares per Nostras Apostolicas litteras sollicitudinis plenas adhortabimur, ut Ecclesiæ paci, atque Unitati consulant, significabimusque Nos ab eorum, qua in Religionem flagrant, charitate, firma fiducia ea, quæ superius dicta sunt, sacrificia expectare, ne ipsa quidem Sedium resignatione excepta, quam Ecclesiæ bonum imperat. Qua hortatione præmissa, eorumque cognita responsione, quam Nostris conformem Votis futuram esse haud dubitamus, opportuna media adhibebimus, quibus Religionis bono consulatur, atque ut nova Circumscriptione peracta Gallicani Gubernii vota impleantur operam impendemus.

Archiepiscopos autem, et Episcopos novæ Circumscriptionis Diœcesibus præficiendos Consul Primus Gallicanæ Reipublicæ nominabit, Nominationesque exhibebit intra tres menses, qui promulgationem Apostolicæ Constitutionis consequentur: Nos vero iisdem Nominatis Institutionem Canonicam dabimus juxta formas relate ad Gallias ante Regiminis commutationem statutas.

Eadem ratio servabitur tam in Nominationibus, quam in Canonica Institutione eorum, qui in posterum vacantibus Sedibus substituentur.

Ut vero ne minimum quidem dubitari possit de sensibus ac mente Episcoporum (quamquam etiam sine ullius obli-

gatione Juramenti juxta Evangelii præscripta quid supremis Præpositis debeant optime noverint, atque implere teneantur), quo certiores sint de Eorum fide, atque obedientia Reipublicæ Rectores, consensimus ut Episcopi antequam Episcopale munus gerendum suscipiant, coram Primo Consule Juramentum fidelitatis emittant, quod erat in more positum ante Regiminis commutationem sequentibus verbis expressum = Ego juro, et promitto ad Sancta Dei Evangelia obedientiam et fidelitatem Gubernio per constitutionem Gallicanæ Reipublicæ statuto. Item promitto me nullam communicationem habiturum, nulli consilio interfuturum, nullamque suspectam unionem, neque intra, neque extra conservaturum, quæ tranquillitati publicæ noceat, et si tam in Diæcesi mea, quam alibi noverim aliquid in Status damnum tractari, Gubernio manifestabo =

Iisdemque de causis consensimus Ecclesiasticos Secundi Ordinis in eadem verba jurare coram Auctoritatibus Civilibus, quæ a Rectoribus Reipublicæ designabuntur.

Cum inscrutabili consilio Divinæ Providentiæ, qua largitate donorum ubique diffunditur, cuncta regantur in Mundo, pietati congruum, et publicæ, quam optamus, felicitati necessarium judicavimus, ut ad utilitatem, salutemque Galliarum publicis precibus Divinum auxilium imploretur, idcirco in omnibus Templis Catholicorum, qui sunt in Gallia, post Divina officia his verbis orabitur = Domine salvam fac Rempublicam, Domine salvos fac Consules =

Constitutis Diæcesibus cum omnino necesse sit limites etiam Paræciarum constitui, earum circumscriptionem ab Episcopis fieri volumus, quæ tamen circumscriptio suum non sortietur effectum, nisi postquam Gubernii consensus accesserit.

Jus nominandi Parochos ad Episcopos pertinebit, qui tamen Personas non seligent nisi iis dotibus instructas, quas Ecclesiæ Canones requirunt, atque (ut tranquillitas eo magis in tuto sit) Gubernio acceptas.

Cum vero tum Clericorum Institutioni, tum Episcoporum Consilio, Suæque Ecclesiæ Administrationi consulere necesse sit, illud non omisimus, ut iidem Episcopi unum habeant in Cathedrali Ecclesia Capitulum, unum-

que Seminarium in sua quisque Diæcesi, quamvis Gubernium ad Dotationis obligationem non se adstringat.

Quamvis maxime desideraretur a Nobis, ut Templa omnia iterum Sacris Ministeriis exercendis Catholicis redderentur; cum tamen id perfici non posse videamus, satis habuimus, quod omnia Templa Metropolitana, Cathedralia, Parochialia, aliaque non alienata Cultui necessaria Episcoporum dispositioni tradantur.

Constantes in proposito ad omnia Sacrificia pro bono unitatis descendendi, ad quæ, salva Religione, descendi potest, ut etiam pro viribus Nostris tranquillitati Galliarum cooperemur, quæ denuo totæ turbarentur, si Bona Ecclesiastica alienata iterum essent repetenda, et ut (quod potissimum est) felix Catholicæ Religionis restitutio fiat, Prædecessorum Nostrorum exempla sectantes declaramus, eos qui bona Ecclesiæ alienata acquisiverunt, molestiam nullam habituros neque a Nobis, neque a Romanis Pontificibus Successoribus Nostris; ac consequenter proprietas eorumdem bonorum redditus, et jura iis inhærentia immutabilia penes ipsos erunt, atque ab ipsis causam habentes.

Sed quoniam Galliarum Ecclesiis veteri suo Patrimonio privatis invenienda ratio aliqua est, qua suppleri Episcoporum, ac Parochorum sustentationi ac decentiæ possit, Galliarum Gubernium in se recipit tum Episcoporum, tum Parochorum, quorum Diæceses atque Parochias nova circumscriptio complectetur, substentationem, quæ cujusque statum deceat.

Simili modo statutum est Gallicanæ Reipublicæ Gubernium curaturum, ut Catholicis in Gallia liberum sit, si libuerit, Ecclesiis consulere novis fundationibus.

Demum declaravimus recognoscere Nos in Primo Consule Gallicanæ Reipublicæ eadem jura, ac privilegia, quibus apud Sanctam Sedem fruebatur antiquum Regimen.

Quod si forte eveniat, ut aliquis ex Successoribus hodierni Primi Consulis Catholicam Religionem non profiteretur, eo casu super Juribus, et Privilegiis superius memoratis, nec non super nominatione ad Archiepiscopatus, et Episcopatus respectu ipsius nova Conventio fiet.

Cum itaque omnia, et singula superius recensita ex

parte quidem Nostra, ac Nostro, et Sedis Apostolicæ Nomine a Dilecto in Christo Filio Nostro Hercule S. Agathæ ad Suburram Diacono Cardinali Consalvi a Secretis Nostri Status, nec non Venerabili Fratre Josepho Archiepiscopo Corinthi, atque Dilecto Filio Carolo Caselli; ex parte verò et nomine Gallicani Gubernii a Dilectis in Christo Filiis Josepho Bonaparte, et Emanuele Cretet Consiliariis Status, nec non Dilecto in Christo Filio Presbytero Stephano Bernier Parocho S. Laudi Andegavensis, ejusdem Gubernii Plenipotentiariis, Lutetiæ Parisiorum subscripta sint; cumque post hujusmodi Conventiones, Pacta, et Concordata in omnibus et singulis punctis, clausulis, articulis, et conditionibus a præfatis subscripta, pro firmiori eorum subsistentia robur Apostolicæ firmitatis adjicere, et Auctoritatem solemniorem, et Decretum interponere necessarium sit; Nos ea spe freti fore ut Deus, *qui dives est in misericordia, et a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum*, studia Nostra in Sanctissimo hoc Opere absolvendo benigno favore prosequi dignetur, ac ut omnibus amotis impedimentis atque dissidiis vera pietas, et Religio majora suscipiant incrementa, sublatisque ex Agro Dominico dissentionum seminibus abundantior in dies bonorum operum Seges ad ipsius Dei laudem, et gloriam, æternamque animarum salutem succrescat, de VV. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, et assensu, ac certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine supradictas Concessiones, Conventiones, Capitula, Pacta, et Concordata tenore præsentium cohærenter ad peculiare Chirographum super ipsis Articulis appositum adprobamus, ratificamus, et acceptamus, illis Apostolici Muniminis, et firmitatis robur, et efficaciam adjungimus, omniaque in eis contenta, ac promissa sincere, et inviolabiliter ex nostra ejusdemque Sedis parte adimpletum, et servatum iri, tam Nostro, quam Nostrorum Successorum nomine promittimus, ac spondemus.

Nolumus etiam Paternæ Nostræ Charitatis non esse participes eos Ecclesiasticos viros, qui in Sacris constituti matrimonia attentarunt, sive qui a proprio Instituto publice desciverunt; ideoque eorum respectu, ipsius etiam Regiminis officiis obsecundantes, vestigia sequemur rec.

mem. Prædecessoris Nostri Julii Papæ III., quemadmodum in Nostris litteris in forma Brevis hac eadem die datis pro eorum spirituali salute providetur.

Monemus præterea, et hortamur in Domino omnes, et singulos Archiepiscopos, Episcopos, et locorum Ordinarios juxta novam Gallicanarum Diæcesium Circumscriptionem Canonice instituendos, eorumque Successores, itemque Parochos, aliosque Sacerdotes in Vinea Domini Operarios, ut zelo secundum scientiam non in destructionem, sed in ædificationem utentes, ac præ oculis habentes se Ministros esse Christi, qui a Propheta Princeps pacis cognominatus est, quique transiturus de hoc Mundo ad Patrem, pacem tamquam propriam hæreditatem Apostolis, et Discipulis suis reliquit, ut omnes idem sentiant, collatisque in unum studiis ea, quæ pacis sunt, ament, atque sectentur, et quæcumque ut præfertur, concessa, statuta, et concordata fuerunt, accurate, et diligenter servent, atque custodiant.

Decernentes easdem præsentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis, et obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostræ, aut alio quocumque quamvis magno, et inexcogitato defectu notari, aut impugnari posse, sed semper firmas, validas, et efficaces existere, et, fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et inviolabiliter observari debere: Non obstantibus Synodalibus, et Provincialibus, Generalibusque Conciliis, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac Nostris, et Apostolicæ Cancellariæ Regulis, præsertim de jure quæsito non tollendo, nec non quarumcumque Ecclesiarum, Capitulorum, Monasteriorum, aliorumque Piorum Locorum fundationibus, etiam confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Privilegiis quoque, Indultis, et Litteris Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, cæterisque contrariis quibuscumque. Quibus omnibus et singulis illorum tenores pro expressis, et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum dumtaxat specialiter, et expresse derogamus. Præterea quia difficile foret præsentes litteras ad singula, in quibus de eis fides facienda fuerit, loca deferri, eadem Apostolica auctoritate decer-

nimus, et mandamus; ut earum transumptis etiam impressis, manu tamen publici Notarii subscriptis, et sigillo alicujus Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, plena ubique fides, adhibeatur, perinde ac si dictæ præsentes literæ forent exhibitæ, vel ostensæ. Et insuper irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ Concessionis, Approbationis, Ratificationis, Acceptationis, Derogationis, Decreti, Statuti, Mandati, et Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Octingentesimo primo, Decimo octavo Kalendas Septembris Pontificatus Nostri Anno Secundo.

A. Card. Pro-Datarius R. Card. Braschius de Honestis.

Visa de Curia J. Manassei.

Loco ✠ Plumbi.

F. Lavizzarius.

DECRETUM ET BULLA
Novæ circumscriptionis Diœcesium.

Nos Joannes Baptista, Tituli Sancti Honuphrii, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Caprara, Archiepiscopus, Episcopus Æsinus, Sanctissimi Domini Nostri Pii Papæ VII., et Sanctæ Sedis Apostolicæ ad Primum Galliarum Reipublicæ Consulem, à Latere Legatus,

Universis Galliarum Populis, Salutem in Domino

Cum Sanctissimus Dominus Noster Pius Divinâ Providentiâ PP.VII. ad restituendum in Galliis publicum Catholicæ Religionis cultum et Ecclesiæ unitatem servandam, Conventionem à Plenipotentiariis Sanctitatis Suæ et Gubernii Gallicanæ Reipublicæ Parisiis initam per Apostolicas sub Plumbo Litteras incipientes *Ecclesia Christi*, sub Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1801. XVIII. calendas Septembris, anno Pontificatûs ejus secundo, solemniter confirmaverit, in iisque Apostolicis Litteris inter cætera illud quoque Decretum sit, novam esse faciendam circumscriptionem Gallicanarum Diœcesium, hinc Sanctitas Sua ad eamdem circumscriptionem peragendam devenit per Apostolicas sub Plumbo Litteras tenoris sequentis videlicet:

PIUS Episcopus, servus servorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam

Qui Christi Domini vices in terris gerere, atque Ecclesiam Dei regere constitutus est, omnes occasiones arripere, omnique opportunitate, quæ ei offeratur, uti debet, quâ possit et Fideles ad Ecclesiæ sinum adducere, et omnia qnæcumque timentur pericula evitare, ne, occasione amissâ, spes amittatur etiam ea bona ampliùs assequendi, quibus Catholica Religio juvari possit. Hæ fuerunt causæ quæ Nos superioribus mensibus ad Conventionem inter hanc Apostolicam Sedem, et Primum Consulem Reipublicæ Gallicanæ ineundam impulerunt, et eædem cogunt nunc ad cætera illa progredi, quæ si differrentur, et gravissimis damnis Catholicam Religionem affectam vi-

dere, et dilapsam spem illam omnem, in quam haud temerè ingressi sumus, Catholicam unitatem in Galliâ retinendi, dolere deberemus. In tanto hoc bono Ecclesiæ comparando cum statuissemus, et novam circumscriptionem Diœcesium in Galliâ faciendam, et in totis quàm latè eæ patent, Regionibus, quæ nunc temporali Dominationi Reipublicæ Gallicanæ subjacent, decem Ecclesias Metropolitanas, et quinquaginta Episcopales esse erigendas, quarum singulis possent à Primo ejusdem Reipublicæ Consule tribus mensibus, qui proximi promulgationem Litterarum Nostrarum consequerentur, idonei Viri Ecclesiastici nominari, ac digni quos consuetis, ut anteà, formis, Nos canonicè Archiepiscopos, sive Episcopos earum Ecclesiarum institueremus; minimè putabamus futurum, ut Nos cogi deberemus derogare assensibus legitimorum Pastorum, qui pridem Ecclesias illas ac Diœceses obtinebant, quæ nunc omnes juxta novam circumscriptionem immutatæ, novis Pastoribus à Nobis donandæ sunt. Quinimò sperabamus veteres omnes legitimos Antistites, tanto præsertim à Nobis studio atque amore, ad vetera ipsorum merita magna atque præclara novo hoc sacrificio augenda, excitatos Litteris amantissimis Nostris, quod maximè flagitabamus statim reponsuros, et spontè ac liberè Ecclesias suas in manibus Nostris resignaturos. Sed quoniam nunc magnâ cum animi Nostri ægritudine in eo sumus, ut ex unâ parte etsi liberæ dimissiones multorum Episcoporum ad Nos venerint, multorum tamen aut nondum allatæ sint, aut Litteræ allatæ, quæ rationes quærunt, quibus differri hoc sacrificium possit; ex aliâ verò cum maximum periculum sit, ne, si tanta res longiùs differatur, spoliatâ diutiùs suis Pastoribus Galliâ, non solùm Religionis restitutio differatur, sed omnia, quod maximè timendum est, in deteriùs convertantur, atque spes omnes Nostræ ad nihilum recidant; postulat Apostolici Ministerii Nostri ratio, ut Nos, in tanto Rei Christianæ discrimine, cæteris rationibus omnibus, quamvis gravibus, unitatis, ac Religionis causa, quæ omnium potissima est judicanda, postpositis, ad ea deveniamus, quæ ad opus tam laudabile, tamque Ecclesiæ salutare conficiendum omninò necessaria sunt. Nos, itaque, audito consilio plurium Venerabilium Fratrum Nostrorum

S. R. E. Cardinalium, derogamus expressè cuicumque assensui legitimorum Archiepiscoporum, Episcoporum, et Capitulorum respectivarum Ecclesiarum, ac aliorum quorumlibet Ordinariorum, et perpetuò interdicimus iisdem quodcumque exercitium, cujusvis Ecclesiasticæ Jurisdictionis, nullius roboris declarantes quidquid quispiam eorum sit attentaturus, ità ut eæ Ecclesiæ, et respectivæ earum Diœceses, sive integræ, sive ex parte, juxta novam peragendam circumscriptionem, et haberi debeant, et sint reverà prorsùs liberæ, ut de iis Nos constituere ac disponere eâ formâ possimus, quæ infrà à Nobis indicabitur. Habentes igitur prorsùs pro expressis, et integrè insertis omnia et singula quæ præsentibus Litteris necessariò exprimenda, et inserenda forent, supprimimus, annullamus, et perpetuò extinguimus titulum, denominationem, totumque statum præsentem infrascriptarum Ecclesiarum Archiepiscopalium et Episcopalium, unà cum respectivis earum Capitulis, Juribus, Privilegiis, et Prærogativis cujuscumque generis, nimirùm Archiepicopalis Parisiensis cum suis Episcopalibus Suffraganeis Carnotensi, Meldensi, Aurelianensi, Blesensi; item Archiepiscopalis Remensis, et ejus Suffraganearum Suessionensis, Catalunensis, Silvanectensis, Bellovacensis, Laudunensis, Ambianensis, Noviomensis, Boloniensis; item Archiepiscopalis Bituricensis, et ejus Suffraganearum Claromotensis, Lemovicensis, Aniciensis, Tutelensis et Sancti Flori; item Archiepiscopalis Lugdunensis, et ejus Suffraganearum Eduensis, Lingonensis, Matisconensis, Cabillonensis, Divionensis et Sancti Claudii; item Archiepiscopalis Rothomagensis, et ejus Suffraganearum Bajocensis, Abrincensis, Ebroicensis, Sagiensis, Lexoviensis, et Constantiensis Provinciæ Rothomagensis; item Archiepiscopalis Senonensis, et ejus Suffraganearum Trecensis, Antissiodorensis, Bethlemitanæ et Nivernensis; item Archiepiscopalis Turonensis, et ejus Suffraganearum Cenomanensis, Andegavensis, Rhedonensis, Nannetensis, Corisopitensis, Venetensis, Leonensis, Trecorensis, Briocensis, Macloviensis et Dolensis; item Archiepiscopalis Albiensis, et ejus Suffraganearum Ruthenensis, Castrensis Provinciæ Albiensis, Cadurcensis, Vabrensis, et Mimatensis; item Archiepiscopalis Burdega-

lensis, et ejus Suffraganearum Agennensis, Engolismensis, Xantonensis, Pictaviensis, Petragoricensis, Condomiensis, Sarlatensis, Rupellensis et Lucionensis; item Archiepiscopalis Auxitanensis, et ejus Suffraganearum Aquensis Provinciæ Auxitanæ, Lectorensis, Convenarum, Conseranensis, Adurensis, Vazatensis, Tarbiensis, Olorensis, Lascurrensis, et Bayonensis; item Archiepiscopalis Narbonensis, et ejus Suffraganearum Biterrensis, Agathensis, Nemausensis, Carcassonensis, Montis-Pessulani, Lodovensis, Uticensis, Sancti Pontii Thomeriarum, Electensis, Alesiensis et Elnensis; item Archiepiscopalis Tolosanæ, et ejus Suffraganearum Montis Albani, Mirapicensis, Vaurensis, Rivensis, Lumbariensis, Sancti Papuli, et Appiamarum; item Archiepiscopalis Arelatensis, et ejus Suffraganearum Massiliensis, Sancti Pauli Tricastriensis, Tolonensis, et Auraitcensis; item Archiepiscopalis Aquensis in Provinciâ Provinciæ, et ejus Suffraganearum Aptensis, Regensis, Forojuliensis, Vapincensis et Sistaricensis; item Archiepiscopalis Viennensis in Delphinatu, et ejus Suffraganearum Gratianopolitanæ, Vivarensis, Valentinensis, Diensis, Maurianensis, et Gebennensis; item Archiepiscopalis Ebredunensis, et ejus Suffraganearum Dignensis, Grassensis, Venciensis, Glandatensis, Senecensis et Niciensis; item Archiepiscopalis Cameracensis, et ejus Suffraganearum Atrebatensis, Audomarensis, Tornacensis, et Namurcensis; item Archiepiscopalis Bisuntinæ, et ejus Suffraganeæ Bellicensis; item Archiepiscopalis Trevirensis, et ejus Suffraganearum Metensis, Tullensis, Virdunensis, Nanceiensis, et Sancti Deodati; item Archiepiscopalis Moguntinæ; item Archiepiscopalis Avenionensis, et ejus Suffraganearum Carpentoractensis, Vasionensis, et Cavallicensis; item Archiepiscopalis Mechliniensis, et Episcopalium Argentinensis, Leodiensis, Iprensis, Gandavensis, Antuerpiensis, Ruremundensis, et Brugensis; item Archiepiscopalis Tarantasiensis, et Episcopalium Camberiensis, Marianensis et Acciensis, Adjacensis, Sagonensis, Nebbiensis, et Aleriensis; ita ut (deleto etiam omni jure Metropolitico cujuscumque Metropolitani ubicumque existentis) omnes supradicti Archiepiscopatus et Episcopatus cum Abbatiis, etiamsi eæ verè essent nullius cum separato Territorio

et jurisdictione, haberi debeant in posterum tamquam non ampliùs in primo ipsorum statu existentes, quia aut omnimodì extincti, aut in novam formam erigendi. Derogamus item cuicumque assensui illorum Archiepiscoporum. Episcoporum, Capitulorum, ac quorumcumque Ordinariorum, quorum Ecclesiæ, ac Diœceses, cum contineantur ex parte in supradictâ extensione Dominii Gallicani, ex hoc tempore haberi debebunt perpetuò exemptæ, ac separatæ à quâcumque Jurisdictione, Jure ac Prerogativâ prædictorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Capitulorum, aliorumque Ordinariorum, ad hoc ut respectivè earum partes applicari, uniri, atque corporari possint cum Ecclesiis, ac Diœcesibus novâ circumscriptione (ut infrà) erigendis, firmis tamen remanentibus Juribus, Privilegiis, ac jurisdictione ipsorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Capitulorum, et Ordinariorum in eâ parte territoriorum quæ Dominationi Gallicanæ non subjacet (quod idem decernimus relatè ad eas Metropolitanas, et Cathedrales Ecclesias, quas suprà nominatim supressimus, et extinximus, si eæ fortè partem aliquam suarum Diœcesium habent extra fines actualis Territorii Gallicanæ Reipublicæ) reservatâ Nobis curâ prospiciendi in posterum tum partibus illarum Diœcesium, quæ pridem ab Episcopis Gallicanis regebantur, atque in aliorum Principum ditione nunc constitutæ sunt, tum etiam Cathedralibus Ecclesiis, quæ extra limites dicti Gallicani Territorii existentes anteà Suffraganeæ essent antiquorum Galliæ Archiepiscoporum, quæque in novo hoc rerum ordine suo Metropolitano carere inveniantur.

Volentes nunc necessariam Constitutionem Ecclesiastici Regiminis Catholicorum subditorum Reipublicæ Gallicanæ exequi, prout etiam Nobis Primus Consul ejusdem Gallicanæ Reipublicæ se desiderare significavit, Apostolicis hisce Nostris Litteris de novo constituimus et erigimus decem Ecclesias Metropolitanas, itemque quinquaginta Ecclesias Episcopales pro totidem Archiepiscopis et Episcopis, nimirùm Ecclesiam Archiepiscopalem Parisiensem, et Ecclesias Episcopales Versalliensem, Meldensem, Ambianensem, Atrebatensem, Cameracensem, Suessionensem, Aurelianensem, et Trecensem, quas ei in Suffraganeas assignamus; Ecclesiam Archiepiscopalem Bi-

...uricensem cum Ecclesiis Episcopalibus Lemovicensi, Claromontensi, et Sancti Flori, quas ei in Suffraganeas assignamus; Ecclesiam Archiepiscopalem Lugdunensem, et Ecclesias Episcopales Mimatensem, Gratianopolitanam, Valentinensem, et Camberiensem, quas ei in Suffraganeas assignamus; Ecclesiam Archiepiscopalem Rothomagensem, cum Ecclesiis Episcopalibus Ebroicensi, Sagiensi, Bajocensi et Constantiensi Provinciæ Rothomagensis, quas ei in Suffraganeas assignamus; Ecclesiam Archiepiscopalem Turonensem, et Episcopales Cenomanensem, Andegavensem, Rhedonensem, Nannetensem, Corisopitensem, Venetensem, et Briocensem, quas ei in Suffraganeas assignamus; Archiepiscopalem Burdegalensem, cum Episcopalibus Engolismensi, Pictaviensi, et Rupellensi, quas ei in Suffraganeas assignamus; Archiepiscopalem Tolosanam, et Episcopales Cadurcensem, Agennensem, Carcassonensem, Montis-Pessulani, et Bajonensem, quas ei in Suffraganeas assignamus; Archiepiscopalem Aquensem, cum Episcopalibus Avenionensi, Dignensi, Niciensi, et Adjacensi, quas ei in Suffraganeas assignamus; Archiepiscopalem Bisuntinam et Episcopales Augustodunensem, Argentinensem, Divionensem, Nanceiensem, et Metensem, quas ei in Suffraganeas assignamus; Archiepiscopalem Mechliniensem, cum Episcopalibus Tornacensi, Gandavensi, Namurcensi, Leodiensi, Aquisgranensi, Trevirensi, et Moguntinâ, quas ei in Suffraganeas assignamus. Mandamus igitur Dilecto Filio Nostro Joanni Baptistæ S. R. E. Presbytero Cardinali Caprara ad Carissimum in Christo Filium Nostrum Naupoleonem Bonaparte Primum Galliarum Reipublicæ Consulem, Gallicanamque Nationem, Nostro et Apostolicæ Sedis de Latere Legato, ut is juxta has Nostras prædictarum Ecclesiarum tam Archiepiscopalium, quàm Episcopalium erectiones, procedens ad eas constituendas cum congruâ unicuique Archiepiscopo et Episcopo præstandâ assignatione, decernat tum Sanctos Titulares Patronos, sub quorum invocatione in unaquâque Ecclesiâ Metropolitanâ, ac Cathedrali Templum majus erit appellandum, tum Dignitates, et Canonicos cujuscumque Capituli juxta præscriptum Sacrorum Conciliorum efformandi, tum singularum Diœcesium circuitum, novosque fines, clarè, atque di-

stinctè omnia explicans, atque constituens singulis Decretis quæ ab eo emitti debebunt in Actis omnibus conficiendis quæ ad singulas, quas diximus Ecclesias, tam decem Archiepiscopales, quàm quinquaginta Episcopales peculiariter pertinebunt, ad quod præstandum amplissimas quasque ei facultates, etiam subdelegandas, impertimur necessarias atque opportunas ad probanda Statuta respectivorum Capitulorum, ad concedendum iisdem Choralia Insignia, quæ iis convenire arbitrabitur, ad veteres Parœcias sive supprimendas, sive arctioribus limitibus circumscribendas, sive latioribus amplificandas, et ad novas novis finibus erigendas, itemque ad omnes controversias dijudicandas, quæ suboriri unquam possent in exequendis iis quæ per has Litteras Nostras Apostolicas declarata sunt, ac generatim ad ea omnia efficienda, quæ per Nos ipsos effici possent, ut per erectionem prædictarum Ecclesiarum Archiepiscopalium atque Episcopalium, itemque per erectionem, ut primùm commodè fieri poterit, Seminariorum, ac per Constitutionem necessariarum Parœciarum cum assignatione Congruæ cuilibet Parocho, spiritualibus necessitatibus omnium illorum Catholicorum quàm citiùs, atque opportuniùs provideatur. Ut verò in potestate faciendâ præfato Joanni Baptistæ Cardinali Legato procedendi per se ad omnia quæ ad Constitutionem prædictarum Ecclesiarum Archiepiscopalium atque Episcopalium necessaria erunt, quin priùs ea definita, ut moris est, à Sede Apostolicâ constituantur, nihil aliud optamus, nisi ut tanti momenti res eâ celeritate, quæ maximè necessaria est, omninò conficiatur, ita eidem Cardinali mandamus, ut mittere ad Nos curet exemplaria singula authentica Actorum omnium hujus Constitutionis, quæ ab eo deindè conficientur. Confidimus autem pro eâ doctrinæ, prudentiæ, consilii laude, quâ præstat, supradictum Joannem Baptistam Cardinalem Legatum rectissimis Nostris studiis obsecuturum, omnemque operam adhibiturum ut meliori, quâ fieri ratione possit re totâ ad exitum quem optamus, perductâ, hoc tantum bonum, quod Nos Catholicæ Religioni parare omni studio contendimus, auxiliante Deo, tandem aliquando consequi possimus. Præsentes autem Litteras, et in eis contenta et statuta quæcumque, etiam ex eo quod quilibet in præmissis, seu in eorum aliquo jus,

aut interesse habentes, vel habere prætendentes etiam quomodolibet in futurum, cujusvis statûs, ordinis, præeminentiæ. et Ecclesiasticæ, vel Mundanæ Dignitatis sint, etiam specificâ, et individuâ mentione, et expressione digni, illis non consenserint, seu quod aliqui ex ipsis ad præmissa minimè vocati, vel etiam nullimodè, aut non satis, vel sufficienter auditi fuerint, aut ex aliâ qualibet, etiam læsionis, vel alias juridica, et privilegiatâ, ac privilegiatissimâ causâ, colore, pretextu, et capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu, quantumvis magno, inexcogitato, substantiali, et substantialissimo, sive etiam ex eo quod in præmissis solemnitates et quæcumque alia, forsan servanda, et adimplenda, minimè servata, et adimpleta, seu causæ, propter quas præsentes emanaverint, non satis adductæ, verificatæ, et justificatæ fuerint, aut ex quibuslibet aliis causis, vel prætextibus notari, impugnari, aut aliàs infringi, suspendi, restringi, limitari, aut in controversiam vocari, seu adversùs eas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque juris vel facti, aut justitiæ remedium impetrari, easque omninò sub quibusvis contrariis constitutionibus, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, modificationibus, decretis, vel declarationibus generalibus, vel specialibus, etiam motu, scientiâ, et potestatis plenitudine paribus quomodolibet, ac quibusvis de causis pro tempore factis minimè comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse, et fore, et tanquam ex Pontificiæ Providentiæ Officio, et motu proprio, certâ scientiâ, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine Nostris factas, et emanantes omnimodâ firmitate perpetuò validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; ac ab omnibus ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum, perpetuò, et inviolabiliter observari, ac earumdem Ecclesiarum sic, ut præfertur, noviter erectarum Episcopis, Capitulis, et Canonicis, aliisque, quorum favorem præsentes Nostræ Litteræ concernunt, perpetuis futuris temporibus plenissimè suffragari debere, eosdemque super præmissis omnibus et singulis, vel illo-

rum causâ ab aliquibus quâvis auctoritate quomodolibet molestari, perturbari, inquietari vel impediri posse, neque ad probationem, seu verificationem quorumcumque in eisdem præsentibus Nostris Litteris narratorum nullatenùs unquam teneri, nec ad id in judicio, vel extrà cogi, seu compelli posse, et si secùs super his à quoquam quâvis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et prorsùs inane esse, et fore, pari Auctoritate volumus, atque decernimus.

Non obstantibus de jure quæsito non tollendo, de suppressionibus committendis ad partes vocatis quorum interest, aliisque Nostris et Cancellariæ Apostolicæ Regulis, necnon dictarum Ecclesiarum per Nos, ut præfertur, suppressarum, et extinctarum, etiam confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, Statutis, et Consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, Concessionibus et Donationibus eisdem Ecclesiis, ut præfertur, suppressis et extinctis, aùt quibuscumque Personis quâcumque Ecclesiasticâ, vel Mundanâ Dignitate fulgentibus, quantumvis specificâ et individuâ mentione dignis, etiam Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum, sub quibuscumque formis, et verborum tenoribus, etiam motu simili, et de Apostolicæ Potestatis plenitudine, seu consistorialiter in contrarium præmissorum concessis et emanatis, et longissimi ac immemorabilis temporis usu, possessione, seu quasi, exercitis, atque præscriptis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, et formis specialis, specifica, et individua mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, ad præmissorum omnium, et singulorum effectum latissimè, et plenissimè, ac specialiter, et expressè, ex certâ scientiâ, motuque et potesatis plenitudine paribus derogamus. et derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus etiam, ut ipsarum præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus Personæ in Ecclesiasticâ Dignitate constitutæ munitis, eadem

prorsùs fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ suppressionis, extinctionis, erectionis, constitutionis, concessionis, impertitionis facultatum, subjectionis, commissionis, mandati, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo octingentesimo primo, tertio Kalendas Decembris, Pontificatûs Nostri anno secundo „.

A. Card. Prod. R. Card. Braschius de Honestis.

Visa de Curia. J. Manassei.
Loco ✠ Plumbi. F. Lavizzarius.

Hinc est quod Nos obtemperantes mandatis Sanctissimi Domini Nostri, ac utentes facultatibus à Sanctitate Sua Nobis specialiter delegatis, prævia suppressione, extinctione, et respectivè dismembratione à Sanctitate Sua, ut suprà, factis, et salvis omnibus, et singulis dispositionibus, et ordinationibus in præfatis Litteris Apostolicis contentis, præsertim quod ad eas Metropolitanas, et Cathedrales Ecclesias, quarum Diœcesium partes extra fines actualis Territorii Gallicanæ Reipublicæ existunt, necnon earum Ecclesiarum, suorumque Capitulorum Jura, Privilegia, et Jurisdictionem, itemque quod ad Episcopos, qui extra ejusdem territorii limites reperiantur, quique anteà veteribus Gallicanis Archiepiscopis tamquam eorum Suffraganei subdebantur, de quibus omnibus deinde Sanctitas Sua Apostolica Auctoritate statuet, atque decernet quidquid magis opportunum judicabit, præsentis Decreti Nostri tenore ad ea omnia procedimus, quæ à Sanctitate Sua in iisdem Aposolicis Litteris supplenda, perficiendaque Nobis committuntur; ut nova decem Archiepiscopalium, et quinquaginta Episcopalium Ecclesiarum in Regionibus, quæ nunc temporali Dominationi

Reipublicæ Gallicanæ subjacent, erectio à Sanctitate Sua; ut supra facta numeris omnibus absolvatur, justis Gubernii votis, cum quo collatis consiliis omnia, quæ ad restituendam in Galliis Catholicam Religionem pertinent, acta sunt, respondeatur, Conventio denique inter eamdem Sanctitatem Suam, Guberniumque ipsum inita suum sortiatur effectum.

Ac primùm, quoniam à Sanctitate Suâ omne onus in Nos transfusum est, circuitum, novosque fines singularum Diœcesium decernendi et clarè atque distinctè ea omnia quæ ad eosdem pertinent, explicandi, illud juxta receptam et constantissimè servatam ab Apostolicâ Sede praxim et consuetudinem in hanc rem esset à Nobis præstandum, ut singulorum Locorum ac Paræciarum ex quibus unaquæque coalescere debet Diœcesis, diligens hoc loco enumeratio perficeretur, ne ullo unquam tempore de ipsis limitibus, et super exercitio spiritualis Jurisdictionis à singulis Antistitibus exercendæ, exoriri dubium possit, utque propterea omnis inter conterminos Episcopos controversiæ præcidatur occasio; nunc tamen neque Paræciarum mentio fieri potest, cùm nova earum erectio, et divisio peragi debeat ab Archiepiscopis, et Episcopis in suâ respectivè Diœcesi, postquàm canonicè fuerint instituti, juxta facultatem à Sanctissimo Domino Nostro iisdem tributam in supradictis Apostolicis Litteris incipientibus: *Ecclesia Christi*, neque temporis angustiæ patiuntur ut loca singillatim enumeremus omnia, ex quibus singularum Diœcesium territorium constare debebit. Ne igitur tantis Gallicanarum Ecclesiarum necessitatibus diutiùs opem et auxilium differamus, utque celeriùs et ejusdem Sanctitatis Suæ votis, et repetitis Gallicani Gubernii postulationibus, et Catholicorum omnium precibus, ac desideriis satisfaciamus, eam, tot utilitatibus propositis, inire cogimur rationem, quâ rem omnem explicare, retentis aliquo pacto Sedis Apostolicæ Regulis, et Consuetudinibus expeditissimè possimus.

Ratio autem, quam in circuitu, novisque Diœcesium finibus decernendis sequimur, hæc est: Quoniam scilicet singularum Diœcesium novæ circumscriptionis territorium complecti debebit unam, aut plures ex Provinciis, sive Regionibus Gallicanis, idcircò earum

Provinciarum, seu Regionum appellationem intereà sequemur in designandis Locorum spatiis intrà quæ cujuslibet Metropolitanæ et Cathedralis Ecclesiæ, eorumque Antistitum Jurisdictio sese continere debebit. Hùnc verò actum novorum Antistitum auxilio et adjunctâ Paræciarum omnium et locorum in unaquâque Diœcesi contentorum descriptione tunc pleniùs exactiùsque perficiemus, cum ii, secundùm ea quæ ab iisdem diligenter postulabimus, quidquid ad idem opus numeris omnibus absolvendum necessarium erit, Nobis suppeditabunt.

Ut autem unà et brevitati, et perspicuitati inserviamus, singulis Metropolitanis et Cathedralibus, ut suprà, erectis, propriam Metropolitanam, et Cathedralem respectivè Ecclesiam, Titulosque Sanctorum Patronorum, sub quorum invocatione appellandæ erunt præfigemus, nominaque Provinciarum, seu Regionum adjungemus, quarum integram extensionem, præter ipsam Civitatem, in quâ Metropolitana, vel Cathedralis erecta est, pro Diœcesi singulis supradictis Ecclesiis intendimus assignare.

Itaque ad majorem Omnipotentis Dei gloriam, Beatissimæ Virginis Mariæ, quam inclyta Gallicana Natio ut Patronam præcipuè veneratur, Sanctorumque, quos singulæ Diœceses in Patronos pariter habebunt, honorem, itemque ad Catholicæ Religionis conservationem, et incrementum, utentes facultatibus Nobis, ut suprà, tributis, Metropolitanarum et Cathedralium Ecclesiarum Titulos, novarumque Gallicanarum Diœcesium limites in subjecto Elencho describimus, atque assignamus, eumdem tenentes ordinem, quem Sanctitas Sua in designandis novis Metropolitanis cum suis Suffraganeis Ecclesiis secuta est:

(*Vide Elenchum adjunctum*).

Optabat quidem Sanctitas Sua, ut Archiepiscopalis, seu Episcopalis Cathedræ honor conservaretur pluribus aliis Ecclesiis, quæ cùm propter antiquitatem originis, quam à primis Christianæ Religionis exordiis repetunt, venerabiles, tum propter earum prærogativas, suorumque Antistitum gloriam celeberrimæ, optimèque de Catholicâ Religione sunt meritæ. Quoniam verò temporum difficultates et circumstantiæ locorum id minimè

passæ sunt, maximè expediens videtur, ut aliquarum saltem ex illustrioribus, quod Catholicorum desideriis respondet, memoria retineatur, quæ novis Antistitibus ipsa per se ad omnem virtutem præbeat incitamenta. Propterea Nos de præfatâ Apostolicâ Auctoritate, tum generatim in præinsertis Apostolicis sub plumbo Litteris, tum in specialibus sub Annulo Piscatoris, die 29. Novembris anni 1801. à S. S. datis, Nobis tributa, aliquibus Ecclesiis noviter erectis, intrà quarum Diœcesium (si de Cathedralibus, si verò de Metropolitanis agitur intrà quarum Metropoleon), fines antiquæ supradictarum insignium Ecclesiarum quæ, ut præfertur, suppressæ et extinctæ sunt, Diœceses, vel earum pars aliqua consistit, denominationem, et titulum earumdem antiquarum Ecclesiarum adjungimus, et applicamus, juxta hanc Nostram quam hic addimus enumerationem.

Elenchus Ecclesiarum Metropolitanarum et Cathedralium novæ erectionis, quibus Denominationes et Tituli suppressarum Ecclesiarum sive Archiepiscopalium, sive Episcopalium, applicati sunt.

Metropolitanæ novæ erectionis.	*Tituli Archiepiscopalium suppressarum.*
Parisiensis.............	Rhemensis, et Senonensis.
Lugdunensis...........	Viennensis, et Ebredunensis.
Tolosana...............	Auxitanensis, Albiensis, et Narbonensis.
Aquensis...............	Arelatensis.

Cathedrales novæ erectionis.	*Tituli Episcopalium suppressarum.*
Ambianensis............	Bellovacensis, et Noviomensis.
Suessionensis...........	Laudunensis.
Trecensis..............	Catalaunensis, et Antissiodorensis.
Divionensis.............	Lingonensis.
Camberiensis...........	Gebennensis.

Archiepiscopis ergo et Episcopis canonicè instituendis quorum Ecclesiarum nomina in superiori Elencho descripta sunt, Apostolicâ Nobis delegatâ Auctoritate mandamus, et respectivè potestatem facimus, ut eorum quilibet titulo Ecclesiæ, ad quam promoti fuerint, alios quoque suppressarum Ecclesiarum titulos adjungant, quos Nos in supradicto Elencho adnotavimus; ita tamen ut ex hâc titulorum unione et applicatione, propter Ecclesiarum quarumdam insignium memoriam et honorem unicè factâ, nullo unquam tempore deduci possit, aut easdem Ecclesias adhuc superesse, nec realiter fuisse suppressas, aut Antistitibus, quibus suarum Ecclesiarum titulo eorumdem titulorum adjungendorum potestatem fecimus, ullam aliam, præter eam, quam singulis hujus Decreti Nostri tenore expressè tribuimus, jurisdictionem adscriptam fuisse.

Assignatis Sanctis Titularibus Patronis, sub quorum invocatione in unaquâque ex sexaginta erectis Metropolitanis, et Cathedralibus respectivè Ecclesiis Templum majus erit appellandum, præfinitisque singularum Diœcesium limitibus, postulat rerum ordo ut ad reliqua procedentes, ab earumdem Ecclesiarum Capitulis ducamus exordium. Inter cætera enim quæ Nobis à Sanctissimo Domino Nostro, in sæpe laudatis Litteris Apostolicis mandata sunt, alterum illud est, ut suppressis jam à Sanctitate Suâ antiquis omnibus Gallicani Territorii Capitulis, nova in singulis Metropolitanis et Cathedralibus Ecclesiis, qua ratione fieri poterit, constituantur. Quod cúm ita Nobis commissum sit, ut facultas quoque has partes subdelegandi per memoratas Litteras Apostolicas Nobis ipsis tributa fuerit; ideò hujus facultatis vigore Archiepiscopis, et Episcopis Galliarum primofuturis facultatem concedimus, ut posteaquam canonicè instituti Ecclesiarum suarum regimen actu consecuti erunt, capitulum in Metropolitanis et Cathedralibus respectivè Ecclesiis suis erigere ipsi possint juxta formam à Sacris Canonibus, Conciliisque præscriptam, & ab Ecclesia huc usque servatam, cum eo Dignitatum, et Canonicorum numero, quem ad earumdem Metropolitanarum et Cathedralium Ecclesiarum utilitatem et honorem, attentis rerum circumstantiis, expedire judicabunt,

Eosdem autem Archiepiscopos et Episcopos enixè adhortamur ut quantò citiùs fieri poterit, supradictâ facultate, ad suarum Diœcesium utilitatem, Ecclesiarum tam Metropolitanarum quàm Cathedralium honorem, Religionis decus, ac administrationis suæ levamen utantur, memores eorum quæ ab Ecclesia circa Capitulorum erectionem et utilitatem sancita sunt; quod quidem eò faciliùs ab ipsis peragi posse confidimus, quod in ipsâmet suprà memoratâ Conventione inter Sanctitatem Suam et Gallicanum Gubernium Parisiis feliciter initâ statutum sit, singulos Archiepiscopos, et Episcopos Gallicani Territorii unum in Ecclesiâ Metropolitanâ, et Cathedrali Capitulum habere posse.

Ut verò in iisdem Metropolitanis et Cathedralibus Ecclesiis in iis, quæ ad Capitula, ut suprà erigenda spectant, Ecclesiastica Disciplina servetur, iisdem Archiepiscopis, et Episcopis primo futuris curæ erit, ut quæ pertinent ad eorumdem Capitulorum sic erigendorum prosperum et felicem statum, regimen, gubernium, directionem, divinorum Officiorum celebrationem, cæremonias ac ritus in iisdem Ecclesiis, earumque Choro servandos, ac alia quælibet per eorumdem Capitulorum Dignitates, et Canonicos obeunda munia, pro eorumdem Archiepiscoporum, et Episcoporum arbitrio, et prudentiâ definiantur et constituantur, relictâ tamen eorum Successoribus statutorum illorum immutandorum facultate, requisito priùs Capitulorum respectivorum consilio, si, attentis temporum circumstantiis, id utile et opportunum judicaverint: in ipsis autem statutis vel condendis, vel immutandis religiosa Sacrorum Canonum observantia retineatur, usuumque, ac consuetudinum laudabilium antèa vigentium, præsentibusque circumstantiis accommodatarum ratio habeatur. Quam quidem Capitulorum erectionem, cæteraque omnia ad ipsa Capitula pertinentia singuli Archiepiscopi, et Episcopi cùm primum perfecerint, erectionis hujusmodi, omniumque hanc in rem constitutorum acta authenticâ forma exarata Nobis reddenda curent, ut ad perfectam Apostolicarum Litterarum executionem huic Nostro Decreto inserere possimus.

Porrò Metropolitanis, et Cathedralibus Ecclesiis sic constitutis, illud superesset, ut juxta receptam Aposto-

licæ Sedis consuetudinem de earumdem dotatione, et redditibus statueremus. Sed cùm hanc ipsam dotationem Gallicanum Gubernium, memoratæ Conventionis vigore, in se susceperit, ut, quantum in Nobis est, præfatæ consuetudini satisfaciamus, declaramus, earumdem Ecclesiarum dotationem ex iis redditibus conflatam fore, qui ab ipso Gubernio juxta præfatæ Conventionis tenorem singulis Archiepiscopis, et Episcopis quamprimùm assignandi erunt, quosque sufficientes fore justè confidimus, ut iidem Archiepiscopi et Episcopi dignitatis suæ decenter onera ferre, et munia dignè valeant implere.

Et quoniam, ut in sæpe memoratâ Conventione Parisiis peractâ, atque à Sanctitate Suâ per Apostolicas supracitatas Litteras adprobata constitutum est, nova a futuris Archiepiscopis, et Episcopis Paræciarum circumscriptio in singulorum Diœcesibus facienda est, quam minime dubitamus talem futuram, quæ Fidelium in unaquâque Diœcesi existentium tum copiæ, tum necessitati respondeat, ne illis doctrinæ pabula, sacramentorum subsidia, atque ad æternam salutem assequendam adjumenta possint deesse, ut impedimenta omnia quæ expeditam, ac plenam ipsius Conventionis, hâc in parte, executionem a singulis Antistitibus peragendam retardare possent, penitùs removeantur, necessarium propterea ducimus, ut eo modo, quo de Diœcesibus factum est, hujusmodi novæ Paræciarum circumscriptioni viam sternamus. Hinc ergo est, quod Nos de præfatâ Apostolicâ Auctoritate Nobiscum, ut suprà, communicatâ, omnes et singulas Parochiales Ecclesias, quæ in territoriis Diœcesium novæ circumscriptionis continentur, et in quibus animarum cura per quemcumque Presbyterum exercetur, qui Parochi, Rectoris, Vicarii perpetui, aut alio quocumque titulo, et appellatione gaudet, cum suis titulis, animarum curâ, et jurisdictione quâcumque, *nunc pro tunc*, suppressas perpetuò fore declaramus; ita ut, cum singulis Ecclesiis in unaquâque Diœcesi in Parochiales erectis singuli Parochi, seu Rectores novorum Antistitum auctoritate præfecti fuerint, omnis antiquorum Parochorum jurisdictio in territorio novis Paræciis assignato cessare prorsùs debeat, neque ullus, præter novos Parochos, seu Rectores à novis Antistitibus institutos, illarum Ecclesia-

rum, aut in eo Territorio Parochus, Rector, aut alio quolibet titulo, et appellatione gaudens, censeri, et haberi, neque animarum in eo territorio contentarum curam exercere amplius possit.

Singulis verò Parochialibus Ecclesiis sic erigendis pro congruâ Rectorum sustentatione eos redditus, qui, ut in supradictâ Conventione statutúm est, assignandi erunt, iidem Archiepiscopi et Episcopi dotationis locum habituros fore declarabunt.

Hæc omnia cùm singuli Antistites perfecerint, quod, quàm citissimè ut prestetur ab ipsis vehementer cupimus, et hortamur, eorum quilibet Nobis reddendum curet exemplar Decreti authenticâ formâ exaratum erectionis omnium Ecclesiarum Parochialium totius Diœcesis suæ, adjuncto singularum Titulo, Invocatione, extensione, terminatione, limitibus, Congruâ, adnotatisque nominibus Civitatum, Pagorum, et Locorum, in quibus singulas Paræcias erexerint, ut exemplar ipsum, Nostro pariter huic Decreto inserere possimus ad supplendam enumerationem Paræciarum et Locorum, ex quibus unaquæque Diœcesis extare debebit, quæ juxta receptam consuetudinem à Nobis peragi debuisset.

Seminarium quoque, ut in suprà memoratâ Conventione similiter firmatum est, ad erudiendam in pietate, litteris, omnique Ecclesiasticâ Disciplinâ juventutem, quæ clericalis militiæ est viam ingressura, quibus poterunt modis, ac temporalibus adjumentis ad SS. Canonum et Conciliorum Sanctiones Archiepiscopi, et Episcopi omnes Ecclesiis novæ circumscriptionis præficiendi, quàm citissimè fieri poterit, curent instituendum; eique sic erêcto, et instituto eas leges præscribant, tum quod ad scientiarum studia, tum quod ad omnem pietatis, et disciplinæ rationem, quæ magis accommodatæ suarum Ecclesiarum utilitatibus, temporumque circumstantiis ipsis in Domino videbuntur.

In id prætereà Archiepiscopi et Episcopi ipsi sedulò incumbant, ut Metropolitanæ, et Cathedrales Ecclesiæ, si quæ vel reparatione aliquâ indigeant, vel sacris suppellectilibus, cæterisque, pro decenti Pontificalium usu Divinique Cultus exercitio vel omninò carent, vel non satis instructæ sunt, ad utramque rem ipsis necessaria comparentur

Metropolitanis, et Cathedralibus Ecclesiis, ut suprà, erectis, finibus singularum Diœcesium novæ circumscriptionis designatis, cæterisque statutis, quæ Capitulorum, Paræciarum, et Seminariorum erectiones, totamque Gallicanarum Ecclesiarum ordinationem respiciunt, Nos, de speciali, et expressâ Apostolicâ auctoritate, Civitates in Archiepiscopales, et Episcopales, ut præfertur, erectas, itemque memoratas, et singulis Ecclesiis pro Diœcesi adscriptas atque attributas Provincias, seu Regiones. et in iis contentos utriusque sexûs habitatores et incolas, tam Laïcos, quàm Clericos et Presbyteros, novis prædictis Ecclesiis, illarumque futuris Præsulibus, pro suis Civitate, Territorio, Diœcesi, Clero, et Populo, perpetuò assignamus et respectivè in spiritualibus, et in ordine ad Religionis officia supponimus atque subiicimus. Quocircà Personis, Archiepiscopalibus et Episcopalibus Ecclesiis sic erectis et institutis, in Archiepiscopos, et Episcopos, tam pro hac primâ vice, quâm aliis futuris vacationibus, Apostolicâ Auctoritate præficiendis licebit (quemadmodum iisdem de simili Auctoritate præcipimus, et mandamus) per se ipsos, vel per alios eorum nomine, veram, realem, actualem, et corporalem possessionem, seu quasi, regiminis, administrationis, et omnimodi juris Diœcesani in respectivis prædictis Civitatibus, et earum Ecclesiis, et Diœcesibus ac Mensis Archiepiscopalibus, et Episcopalibus assignatis, vel assignandis, vigore Litterarum Apostolicarum provisionis de eorum personis liberè apprehendere, apprehensamque perpetuò retinere.

Propereaque statim ac novi Archiepiscopi et Episcopi canonicè, ut suprâ, instituendi suarum Ecclesiarum regimen actu consecuti erunt, omnis antiquorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Capitulorum, Administratorum, ac sub alio quocumque titulo Ordinariorum jurisdictio cessare prorsùs debebit, facultatesque omnes ipsorum Ordinariorum nullius ampliùs erunt roboris vel momenti.

Demum, quoniam Primi Galliarum Reipublicæ Consulis vota et postulata in id etiam intenderi t, ut in magnis illis Insulis, amplisque Indiarum Occidentalium Regionibus, quæ præsenti Gallicanæ Reipublicæ Dominationi subjacent, res Ecclesiasticæ componantur, et ne-

cessitati Fidelium, qui magno numero eas incolunt Regiones consulatur, cùmque a Sanctissimo Domino Nostro per suas Apostolicas sub plumbo Litteras sub datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ 1801., 3. cal. Decembris, quarum initium; *Apostolicum universæ*, hujusmodi negotio provisum sit; huic propterea operi manum jam apposuimus, ut ipsæ Apostolicæ Litteræ debitæ executioni mandentur.

Putamus tandem per Apostolicas hìc præinsertas Litteras, Nostrumque Decretum ita provisum cuicumque rei, quæ ad Gallicanarum Ecclesiarum statum in omne reliquum tempus componendum conducat, ut omnibus dubiis, quæstionibusque aditus sit occlusus. Quod si fortè acciderit, ut aliquæ excitentur controversiæ, aut super intelligentia, sensu, executione tum prædictarum Litterarum, tum Decreti Nostri dubium aliquod exoriatur, quoniam Sanctissimo Domino Nostro visum est in iisdem Litteris ad controversias hujusmodi dijudicandas, et ad ea generatim perficienda omnia, quæ per se ipsam S. S. efficere posset, amplissimis Nos facultatibus instruere, declaramus ea dubia, quæstionesque, nullis excitatis contentionibus, quæ Ecclesiæ non minùs, quàm Reipublicæ tranquillitatem perturbare possent, confestim ad Nos deferri debere, ut eas explicare, dissolvere, componere, et respectivè interpretari, de præfata Apostolica Auctoritate possimus.

Hæc autem omnia tam in præfatis Apostolicis Litteris, quam in præsenti decreto contenta, ab iis, ad quos spectat, inviolabiliter observari volumus: non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus etiam speciali et individua mentione dignis, cæterisque quæ Sanctitas Sua in dictis Litteris voluit non obstare.

In quorum fidem præsentes manu Nostra signatas, Secretarii Nostræ Legationis Apostolicæ subscriptione, Nostroque Sigillo muniri mandavimus.

Datum Parisiis, ex Ædibus Nostræ Residentiæ, die 9. Aprilis 1802.

J. B. Cardinalis CAPRARA, *Legatus*.

Loco ✠ Sigilli.

Josephus Antonius SALA, Legationis Apostolicæ Secretarius.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII PAPÆ SEPTIMI

LITTERÆ APOSTOLICÆ

Quibus Eminentissimus et Reverendissimus Dominus Cardinalis CAPRARA Legatus a Latere constituitur

Pius, Episcopus, servus servorum Dei, Dilecto Filio Nostro Joanni Baptistæ, Tituli Sancti Honuphrii, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali Caprara nuncupato, Archiepiscopo, Episcopo Æsino. ad carissimum in Christo Filium Nostrum Naupoleonem Bonaparte, Primum Galliarum Reipublicæ Consulem Gallicanamque Nationem, Nostro et Apostolicæ Sedis Legato de Latere, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Dextera Altissimi, quæ semper in ostensione virtutis magnificata est, renovavit etiam temporibus hisce nostris magnalia sua. Illud siquidem est operata ut tot inter impetus, ac procellarum jactationes, quibus universa Gallia tamdiù est agitata, longè maxima Nationis illius pars Religionis quam à majoribus acceperat, et ab incunabulis hauserat, retinentissima fuerit, in eaque conservanda avorum suorum gloriam, à quibus tot bona accepit Ecclesia, ad memoriam sæculorum omnium sit æmulata. Propterea nec desivimus, nec desituri unquam erimus in omni spiritûs Nostri humilitate gratias agere Misericordiarum Deo, qui tot inter angustias quibus undique premimur, tantasque curarum moles quas, cum semper, tum iis potissimùm temporibus necessariò habere debet sarcina supremi Episcopatûs quæ infirmitati Nostræ, inscrutabili Dei judicio est imposita, ad consolandos Nos Divinitatis suæ lumine, rationem Nobis suppeditare est dignatus, qua Catholica Religio ad liberum ministeriorum suorum exercitium in Regionibus illis revocata, ad pristinam Cúltûs sui puritatem, sanctitatemque possit reflorescere. Paterna charitas, qua Nos Gallicanam Nationem semper complexi fuimus, et ardentia illa studia quibus urgemur ut

opus tam benè susceptum, auxiliante Deo, ad majorem ejus gloriam per imbecillitatem Nostram feliciter conficiatur, Nos vehementer sollicitos habet, rationesque omnes excogitare cogit, quæ ad hoc tantum bonum constituendum conferunt, cum quo salus tam multarum animarum quas Christus Dominus sanguine suo redemit est omninò conjuncta. Propterea cùm ad id consequendum illud maximè tum Nobis tum Gubernio ipsi Gallicano prodesse posse videatur, si Nostrum atque Apostolicæ Sedis Legatum constituamus qui in Galliam se conferens et spiritualibus Fidelium illorum necessitatibus præstò sit, et ea bona properet quæ ex Conventione inter Nos et Gubernium Reipublicæ Gallicanæ inita expectari debent, auditis Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus quos, quemadmodum deliberatio tantæ rei postulabat omnes convocandos censuimus, unanimi eorumdem consilio et assensu, Te, Dilecte Fili Noster, delegimus, cujus fidei, religioni, ac exploratæ prudentiæ tantum ac tam grave hoc munus committeremus, illud persuasi, Te, pro eâ virtute ac singulari sapientia qua prestas, ac præsertim pro eo amore, ac studio quod semper in cæteris muneribus quæ tibi à Sede Apostolica concredita sunt administrandis erga Catholicam Ecclesiam ostendisti, desiderio atque expectationi Nostræ esse cumulatissimè responsurum. Te igitur in Nostrum, et Apostolicæ Sedis Legatum ad Primum Galliarum Reipublicæ Consulem vigore præsentium eligimus, constituimus, et deputamus, circumspectioni Tuæ mandantes ut munus hujusmodi pro Tua in Deum pietate, in Nos et hanc Sanctam Sedem reverentia, in Christianam Rempublicam studio, alacri animo suscipias, ac sedulò diligenterque, Deo juvante, exequaris, donec id pro necessitate temporum opportunum judicabitur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ, millesimo octingentesimo primo Nono calendas Septembris, Pontificatus Nostri anno secundo.

A. Card. Pro-Datarius. R.Card.Braschius de Honestis.
Visa de Curia. J. Manassei.
Loco ✠ Plumbi.

F. Lavizzarius.

BREVE FACULTATUM

Domino Cardinali Legato concessarum

Dilecto Filio Nostro Joanni Baptistæ, Tituli S. Honuphrii, S. R. E. Presbytero Cardinali Caprara nuncupato, Archiepiscopo, Episcopo Æsino, ad carissimum in Christo Filium Nostrum Naupoleonem Bonaparte, Primum Galliarum Reipublicæ Consulem, Nostro et Apostolicæ Sedis de *Latere Legato*.

PIUS PP. VII.

Dilecte Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Cum pro tua Religione, doctrina, ac explorata Nobis in rebus gerendis prudentia, Te Legatum Nostrum à Latere in Galliam mittere decreverimus ad Ecclesiasticas res componendas juxta ea, quæ per acta Conventionis inter Nos, et Rempublicam Gallicanam initæ, constituta sunt; quo faciliùs tantam rem cum Ecclesiæ gloria, Galliarumque tranquillitate explicare, conficere, expedire valeas, Auctoritate Nostra Apostolica omnes, et singulas facultates Tibi concedimus, quibus de jure, usu, stylo, consuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet Apostolicæ Sedis à Latere Legati frui consueverunt; signanter absolvendi, dispensandi, commutandi, condonandi, relaxandi, juxta locorum, temporum, ac personarum circumstantias, pro tuo arbitrio et prudentia, atque tua onerata conscientia, et cum ea salubri moderatione, quam in Domino noveris expedire. Insuper potestatem facimus Tibi alios qui Tibi magis in Domino idonei videbuntur, subdelegandi, ut iisdem facultatibus uti possint, si quando id utile ac necessarium ad Ecclesiæ atque animarum bonum judicaveris; qua quidem potestatis amplitudine ita Te ad Ecclesiæ bonum, atque Animarum salutem usurum speramus, ut in rebus dubiis illud continuò memoria teneas, quod S. Innocentius I. Prædecessor Noster ad Fe-

licem Episcopum Nucerinum scribebat (1): „ Mirari non
„ possumus, dilectionem tuam sequi instituta majorum,
„ omniaque quæ possunt aliquam recipere dubitationem
„ ad Nos quasi ad caput, atque ad apicem Episcopatus re-
„ ferre, ut consulta videlicet Sedes Apostolica ex ipsis re-
„ bus dubiis certum aliquid faciendumque pronuntiat „.
Siquidem solemne semper in Ecclesia fuit, quod idem Pontifex in Epistola ad Concilium Melevitanum memorat, Apostolicam Sedem consulere (2) „ supes anxiis rebus „ quæ sit tenenda sententia „ ac Tibi Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 4. Septembris 1801., Pontificatus Nostri anno secundo.

PIUS PP. VII.

---

(1) Litt. 36., t. I. Ep. Rom. Pont. edit. Const. col. 910.
(2) Litt. 30., apud Const. loc. cit.

LITTERÆ CREDENTIALES

PRO DOMINO CARDINALI LEGATO

Carissimo in Christo Filio Nostro Naupoleoni BONAPARTE, Primo Consuli Reipublicæ Gallicanæ.

PIUS PP. VII.

Carissime in Christo Fili Noster Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Deferet Tibi has Litteras Dilectus Filius Noster Joannes Baptista, Tituli S. Honuphrii, S. R. E. Presbyter Cardinalis Caprara nuncupatus, Archiepiscopus, Episcopus Æsinus, quem Nos libentissimo animo Nostrum, et hujus Apostolicæ Sedis Legatum a Latere ad Te mittimus. Hæ ut testes erunt amplissimi muneris quod Nos ei gerendum demandavimus, ita etiam probabunt Tibi magis magisque Paternam eam Caritatem, quâ Te complectimur, eaque studia quibus properamus ampliori, ac testatiori quo possumus modo omnia componere, et conficere quæ per acta Conventionis Nostræ ad Catholicæ Religionis bonum, internæque tranquillitatis conservationem in Galliâ, inter Nos sunt constituta. Eum Nos virum nihil est quod commendemus amori tuo; cùm enim is pro suâ integritate, fide ac prudentiâ sit præcipuè expetitus a Te, eamque ob causam eò libentiùs mittatur a Nobis, scimus eum opinione virtutis suæ satis carum, ac commendatum isthuc accedere. Ei igitur Tecum agenti eam fidem habebis, quam Nobismetipsis haberes si Nos Tecum coram ageremus. Neque enim dubitamus quin is sit futurus apud Te, qualem et Tu pro ejus religione, fide, in rebusque gerendis dexteritate cognitum judicasti, qualemque Nos etiam propter cætera munera gravissima, quibus est summâ cum laude perfunctus, speramus omninò extiturum. Quod ut bonum, felix, fortunatumque sit tum Nobis, atque Catholicæ Ecclesiæ, tum Reipublicæ isti universæ, D. O. M. obsecramus, et Tibi Apostolicam Benedictionem pignus Paternæ Charitatis Nostræ impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem. sub Annulo Piscatoris, die 4. Septembris 1801. Pontificatùs Nostri anno secundo. Josephus Marotti

LITTERÆ APOSTOLICÆ
IN FORMA BREVIS

Quibus Domino Cardinali Legato potestas tribuitur novos Episcopos instituendi.

PIUS PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Quoniam, favente Deo, spes Nobis affulget assequendi ut in omnibus locis Dominio Gallicanæ Reipublicæ ad præsens subjectis unitas Sanctæ Matris Ecclesiæ redintegretur, et Catholica Religio reflorescat, in quem finem per Nostras Apostolicas sub plumbo hac ipsa die datas Literas de novo ereximus atque statuimus decem Metropolitanas, et quinquaginta Episcopales Ecclesias, videlicet Archiepiscopalem Parisiensem cum suffraganeis Versalliensi, Meldensi, Ambianensi, Atrebatensi, Cameracensi, Suessionensi, Aurelianensi, et Trecensi; Archiepiscopalem Bituricensem cum suffraganeis Lemovicensi, Claromontensi, et Sancti Flori; Archiepiscopalem Lugdunensem cum suffraganeis Mimatensi, Gratianopolitana, Valentinensi, et Camberiensi; Archiepiscopalem Rothomagensem cum suffraganeis Ebroicensi, Sagiensi, Bajocensi, et Constantiensi provinciæ Rothomagensis; Archiepiscopalem Turonensem cum suffraganeis Cenomanensi, Andegavensi, Rhedonensi, Nannetensi, Corisopitensi, Venetensi, et Briocensi; Archiepiscopalem Burdegalensem cum suffraganeis Engolismensi, Pictaviensi, et Rupellensi; Archiepiscopalem Tolosanam cum suffraganeis Cadurcensi, Agennensi, Carcassonnensi, Montis Pessulani, et Bajonensi; Archiepiscopalem Aquensem cum suffraganeis Avenionensi, Dignensi, Niciensi et Adjacensi; Archiepiscopalem Bisuntinam cum suffraganeis Augustodunensi, Argentinensi, Divionensi, Nanceiensi, et Metensi; et Archiepiscopalem Mechliniensem cum suffraganeis Tornacensi, Gandavensi, Namurcensi, Leodiensi, Aquisgranensi, Trevirensi, et Moguntina; ad

quas digni et idonei Ecclesiastici viri erunt à Primo ipsius Reipublicæ Consule nominandi, et à Nobis ac pro tempore existentibus Romanis Pontificibus successoribus Nostris approbandi, et servatis formis jampridem constitutis, canonicè instituendi juxta Conventionem per similes Apostolicas sub plumbo Litteras nuper confirmatam; et quoniam temporis ac circumstantiarum ratio omninò postulant, ut supradictæ omnes Ecclesiæ tam Metropolitanæ quàm Episcopales, de utili atque idoneo Pastore absque ulla, vel minima mora respectivè provideantur, et idcircò spatium minimè suppetit nec habendi notitiam de nominationibus a dicto Primo Consule faciendis, nec alia hic in urbe gerendi quæ in similibus peragi solent; Nos, attentis gravissimis causis animum Nostrum dignè moventibus, ut omnia arceantur pericula, et impedimenta tollantur quæ conceptam tanti boni spem irritam fortassè et fructu prorsùs vacuam redderent, salvâ tamen in posterum remanente debitâ præfatæ Conventionis observantiâ, motu proprio et ex certâ scientiâ, deque maturâ deliberatione ac Apostolicæ Potestatis plenitudine Dilecto Filio Nostro Joanni Baptistæ S. R. E. Presbytero Cardinali Caprara, ad carissimum in Christo Filium Nostrum Naupoleonem Bonaparte, Primum Galliarum Reipublicæ Consulem, Gallicanamque Nationem Nostro, et Apostolicæ Sedis de Latere Legato, potestatem et auctoritatem in hoc tantummodo peculiari casu impertimur, ut ipse nominationes ad præfatas Archiepiscopales, et Episcopales Ecclesias, a primævâ earum erectione nunc vacantes, a supradicto Primo Consule faciendas excipere, et constito sibi priùs per diligens examen, et per assuetum, eâ summaria forma quâ fieri possit, informativum processum, de fidei, doctrinæ, et morum integritate, de Religionis zelo, de judiciis Apostolicæ Sedis subjectione, deque verâ idoneitate, juxta Nostram instructionem, cujuslibet Ecclesiastici viri sic nominati, unumquemque eorum, etiamsi Doctoratûs gradu non insignitum, memoratis Archiepiscopalibus, et Episcopalibus Ecclesiis Nostro nomine respectivè præficere, et ad illas instituere possit ac valeat. Plurimùm autem in ipsius Joannis Baptistæ Cardinalis Legati prudentiâ, doctrina, et integritate confisi pro certo habemus, neminem ad Archiepiscopalem vel Episcopa-

lem Dignitatem ullo unquam modo ipsum fore admissurum, qui requisitis ad id necessariis juxta Canonicas leges non sit apprimè suffultus. Eidem insuper Cardinali Legato omnem facultatem et auctoritatem tribuimus, ut per se, vel per quemcumque alium Antistitem ab eo specialiter deputandum, et gratiam ac communionem Sedis Apostolicæ habentem, accitis, et ad hoc assistentibus vel aliis duobus Episcopis, vel duobus Abbatibus, seu Dignitatibus, aut Canonicis, sive in horum defectu etiam duobus simplicibus Presbyteris, cuicumque ex Archiepiscopis et Episcopis sic, ut præfertur, canonicè instituendis, emissis priùs a quolibet fidei professione, et fidelitatis debito juramento, Consecrationis munus impendere liberè ac licitè similiter possit ac valeat. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, aliisque omnibus et singulis, etiam expressâ et individua mentione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 29. Novembris 1801. Pontificatûs Nostri anno secundo.

PIUS PP. VII.

PUBLICATIO

INDULGENTIÆ PLENARIÆ

IN FORMA JUBILÆI

Nos Joannes Baptista, Tituli Sancti Honuphrii, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis CAPRARA, Archiepiscopus, Episcopus Æsinus, Sanctissimi Domini Nostri PII Papæ VII, et Sanctæ Sedis Apostolicæ ad Primum Galliarum Reipublicæ Consulem, a Latere Legatus.

SUBLATA tandem calamitate bellorum, quibus diù tam magna orbis pars miserandum in modum jactata fuit; miseratione et clementiâ Dei, Primique Reipublicæ vestræ Consulis sapientiâ, ea pax Galliis nuper est reddita, quæ incensis omnium desideriis et votis jamdudùm expetebatur. Ea, patriæ cives, liberos parentibus, uxoribus viros, agris cultores, opifices artibus, Reipublicæ denique universæ pristinam restituit tranquillitatem. Exultant propterea Gallorum animi, cùm ex omni civium ordine nemo ferè sit, quin sibi quoque communem esse sentiat tantam hanc Reipublicæ utilitatem. Sed quanquàm bonum hoc magnum sit atque insigne, illud tamen longè majus debet videri vobis, quod, remotis difficultatibus, quas tantæ perturbationes rerum ac temporum instruxerunt, compositisque omnibus animorum discordiis, Catholicæ Religionis Cultus antiquæ libertati restituitur, omnesque ad unum ovile et eorumdem Pastorum regimen revocantur. Explicare profectò satis non possumus quantam paternus Sanctissimi Domini Nostri animus indè capiat consolationem, qui cùm vix ad Apostolatûs officium evectus, sollicitudinem suam in vos converterit, nullisque aut laboribus, aut curis pepercerit, ut florentissimæ Nationi vestræ cumulum hunc felicitatis imponeret, earum tandem fructum uberrimum se percepisse lætanter cognoscit.

Itaque Deo primùm, qui misericordiæ suæ recordatus in vos benignus respexit, cum omni humilitate gra-

tias agentes, in tantâ hujus diei lætitia gratulamur inclyto vestræ Reipublicæ Primo Consuli, cujus potissimùm operâ usus est Deus, ad tantum bonum vobis comparandum; gratulamur vobis omnibus, qui boni hujus possessores facti estis; nobismetipsis denique gratulamur, qui, in his regionibus, Deo disponente, constituti, cùm utilitatis vestræ adjutores, tum participes quoque gaudiorum vestrorum effecti sumus.

Hoc autem *datum* verè *optimum et donum perfectum* quod in vos à Deo collatum est, omni ratione postulat, ut divinæ bonitati atque clementiæ, quàm diligentissimè respondeatis, ne indè districtiùs judicemini, unde majora ad æternam salutem præsidia capere debuissetis. Ad has autem explendas partes, sic existimare debetis, satis minimè esse, quæ pertinent ad splendorem, cultumque Templorum, Cæremoniarum apparatum, Festorum celebrationem, aliaque hujus generis, quæ cum sanctissimè sint ad honorandum Deum instituta, sunt illa quidem studiosè ac ferventer colenda, ut sublatus Deo, diuturnâ intermissione, honor aliqua ex parte reparetur. At si externis hisce Religionis significationibus contenti, nullas esse reliquas partes vestras ducatis, næ vos inanem ac vacuam Christianæ Professionis umbram ac nomen tenebitis. Quid enim restitutam vobis patrum vestrorum Religionem esse profuturam arbitramini, si ea tantùm parte quæ se prodit in lucem et conspectum hominum ipsam retineatis, neglecta illa quæ in solida erga Deum pietate, atque interno cultu consistit? *In spiritu* enim *et veritate* est Deus potissimùm adorandus, in quo primùm illud est, ut caritatem, sine qua nec oblationes, nec holocausta, nec ritus ulli apud Deum accepti esse possunt, animis nostris foveamus.

Sed cum nihil sit quod caritati tam adversetur, quàm ea noxarum inquinamenta, quibus nos promissæ Christo fidelitatis immemores, Deum turpiter deserentes, in diaboli transimus servitutem, ab eo exordium est sumendum, ut virtute pænitentiæ, crimina nostra abstergentes, in Dei amicitiam et gratiam revertamur. Eia igitur, Galliarum Populi, quoniam dies propitiationis advenit, secundam illam post naufragium tabulam, quam divina vobis benignitas offert, quæque *peccatorum fluctu-*

hos mersos prolevare et in portum divinæ clementiæ valeat deducere (1), sollicito animo amplectamini. Ad hanc vos Pastorum Princeps, cui dictum in persona Petri fuit: *Quæcumque solveris super terram, erunt soluta et in cœlis*, quàm maximo potest studio exhortatur, et impellit. Non aliam à vobis Ille, tot curis laboribusque, quos pro inclyta Natione vestra pertulit, grati animi postulat significationem, nisi ut *in jejunio*, *in fletu*, *in planctu*, *in toto* denique *corde vestro ad Deum convertamini*. Thesauros Ille Ecclesiæ omnes, quorum custos et distributor à Deo datus est, vobis omnibus pandit, ut non modò, nullum sit flagitii, aut iniquitatis genus, quod deletum esse non velit, sed a temporalibus etiam pœnis, quas propter eas contraxistis, quoad per Ecclesiæ indulgentiam fieri potest, levati ac liberati sitis.

Itaque Indulgentiam in formâ Jubilæi, Apostolicâ ejus auctoritate et mandato solemniter promulgamus, quam Sanctitas Sua communem esse vult incolis omnibus universi, quà latè patet, Gallicanæ Reipublicæ Territorii; cujus ut utilitas, in tantâ populorum frequentiâ, commodius capi possit ab omnibus, a die quâ præsentes Nostræ Litteræ in singulis locis a novis Archiepiscopis et Episcopis mox canonicè instituendis publicabuntur, spatio dierum triginta perdurabit. His autem diebus, idem Sanctissimus Dominus Noster Pius, Divinâ Providentiâ Papa Septimus, de Omnipotentis Dei ac Redemptoris Nostri Misericordiâ, et Beatorum Apostolorum ejus Petri et Pauli precibus et auctoritate confisus, omnibus et singulis Christifidelibus qui, humili corde ad D. N. J. C. conversi, sacramentaliter confessi, et S. Communione refecti, Ecclesiam, a singulis Archiepiscopis et Episcopis, vel eorum Vicariis, aut aliis ab iisdem ad hoc deputatis, designatam devoté visitantes, in eâ, pro tam magno beneficio, Deo Omnipotenti gratias egerint, et pro exaltatione S. Matris Ecclesiæ. pro felici statu Sanctitatis Suæ, pro Reipublicæ hujus et Magistratuum suorum omnium felicitate, pias ad Deum preces fuderint, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam et Remissionem, sicut anno

---

(1) Tertull.

Jubilæi concedi solet, in Domino misericorditer elargitur. Fidelibus verò omnibus utriusque sexûs, et cujuscumque statûs et conditionis liberum erit quemcumque ex Confessariis ad hunc effectum deputandis ab Archiepiscopis et Episcopis Diœcesium, in quibus domicilium eis habere contingat, Sacerdotem eligere cui peccata sua sacramentaliter confiteantur: quibus omnibus Sacerdotibus extraordinarias amplissimasque, de præfatâ Apostolicâ auctoritate, per singulos locorum Ordinarios concessimus facultates, ut necessitatibus omnium in pœnitentiali foro valeant providere. Senes verò, infirmi, vel alio rationabili impedimento detenti, qui injunctis precibus vacare in Ecclesiis non poterunt, ut in propriis oratoriis, vel domibus, de Parochi consensu, et Confessarii ab se electi judicio, eas perficere, et cæteris adimpletis, similes Indulgentias consequi possint, eadem auctoritate Apostolica indulgemus.

Denique ut speciali quodam modo gratiæ Deo, pro his collatis beneficiis reddantur a Clero, mandamus ut per integrum triginta dierum spatium quos hujusmodi Indulgentiæ, in Jubilæi formâ lucrandæ, præscripsimus, in Missis omnibus per totam Reipublicæ ditionem, addatur Collecta pro Gratiarum actione, juxta Rubricas.

Ut autem præsentes Litteræ ad omnium, qui in Gallicanæ Reipublicæ territorio degunt, notitiam deducantur, omnes et singulos præfatos Archiepiscopos et Episcopos in Domino monemus, iisque injungimus, ut, cùm primùm, Præsentibus Nostris acceptis, opportunum judicaverint, iis omnibus constitutis quæ eorùm arbitrio commissa sunt, earum exemplar ubique per eorum Diœceses et Ecclesias faciant promulgare.

Datum Parisiis, ex Ædibus Nostræ Residentiæ hâc die 9. aprilis 1802.

J. B. Cardinalis CAPRARA, Legatus.

J. A. SALA, Apostolicæ Legationis Secretarius.

INDULTUM

PRO

REDUCTIONE FESTORUM

Nos Joannes Baptista, Tituli Sancti Honuphrii, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Caprara, Archiepiscopus, Episcopus Æsinus, Sanctissimi Domini Nostri Pii Papæ VII., et Sanctæ Sedis Apostolicæ ad Primum Galliarum Reipublicæ Consulem a Latere Legatus.

Apostolicæ Sedis, cui Ecclesiarum omnium sollicitudo a Domino Nostro Jesu Christo imposita fuit, officium est, servandæ Ecclesiasticæ Disciplinæ rationem ita moderari, ut locorum ac temporum circumstantiis opportunè ac suaviter provideatur. Id præ oculis habens Sanctissimus Dominus Noster Pius Divinâ Providentiâ Papa VII, ad cæteras animi sui curas, quas pro Gallicanis Ecclesiis suscepit, eam quoque adjecit, ut, quid in novo hoc rerum ordine, quod ad Festos dies constituere oporteret, deliberandum sibi proponeret. Notum siquidem Sanctitati Suæ in primis erat, in tantâ regionum latitudine quæ Gallicanæ Reipublicæ Territorium coustituunt, non unam hac in re, eamdemque consuetudinem viguisse, sed alios in aliis Diœcesibus Festos dies custoditos fuisse. Animadvertebat prætereà, populis qui ejusdem Reipublicæ Gubernio subjacent, magnam esse, post tantos bellorum eventus, earum rerum reparandarum necessitatem, quæ ad commercium pertinent, ac vitæ usus; quibus quidem reparandis, propter interdictum diebus Festis manuum laborem, eorumdeque dierum numerum, non ita facilis via pateret. Denique et illud, non sine magno animi dolore expendebat, non eâdem ubique pietate hisce in Regionibus Festos huc usque dies observatos fuisse; ut proptereà ob neglectam pluribus in locis Festorum dierum religionem, non parvum in bonos, piosque fideles scandalum dimanaret.

His ergo omnibus perpensis, et maturè libratis, factum est, ut è re tum Christiana, tum Publica futurum judicaverit, si status quidam Festorum dierum numerus, (isque quo contractior fieri posset) in toto Reipublicæ Territorio retinendus constitueretur, ut et omnes qui iisdem legibus continentur, æqualitate firmata, eamdem Disciplinam tenerent, et eorum dierum imminutione cùm levari multorum necessitas, tum facilior eorum qui reliqui fierent, observatio redderetur. Quare cùm ad hæc Primi etiam Reipublicæ Consulis desideria, & postulata accesserint, Nobis uti ejusdem Sanctitatis Suæ a Latere Legato injunxit, ut de Apostolicæ potestatis plenitudine, Festorum dierum, qui iidem Dominici non sint, numerum ad eos tantùm in universo Galliarum Reipublicæ Territorio contractos esse declararemus, quos ad calcem Indulti hujus enumerabimus, ita ut posthac in reliquis Festis diebus omnes ejusdem Incolæ non solùm a precepto audiendi Missam vacandique ab operibus servilibus, sed a Jejunii etiam obligatione in diebus qui Festa hujusmodi proxime præcedunt, prorsus absoluti censeantur et sint. Eam tamen legem adjectam esse voluit, ut in Festis diebus Vigiliisque eos præcedentibus, quæ suppressæ decernuntur, in omnibus Ecclesiis nihil de consueto Divinorum Officiorum Sacrarumque Cæremoniarum ordine ac ritu innovetur, sed omnia ea prorsus ratione peragantur, qua hactenus consueverunt, exceptis tamen Festis Epiphaniæ Domini, Sanctissimi Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, et Sanctorum Patronorum cujuslibet Diœcesis et Paræciæ, quæ in Dominica proximè occurrente in omnibus Ecclesiis celebrabuntur.

Ad honorem autem SS. Apostolorum, et Martyrum Sanctitas Sua præcipit, ut tum in publica, tum in privata Horarum Canonicarum recitatione, omnes qui ad illas tenentur, in Solemnitate SS. Apostolorum Petri et Pauli Sanctorum omnium Apostolorum; in Festivitate verò, S. Stephani Protomartyris, omnium Sanctorum Martyrum commemorationem faciant, quod idem in Missis omnibus iisdem diebus celebrandis agendum erit. Eadem pariter Sanctitas Sua mandat, ut Anniversarium Dedicationis Templorum quæ in ejusdem Gallicanæ Reipublicæ Territorio erecta sunt, in Dominica quæ Octavam Festivitatis omnium

Sanctorum proximè sequetur, in cunctis Gallicanis Ecclesiis celebretur.

Quamvis verò æquum esset, ut in diebus Festis sic abrogatis præceptum saltem audiendi Missam retineretur, ut tamen Galliarum Populi verè paternam Sanctitatis Suæ in omnes caritatem magis agnoscant, hortatur solùm, atque eos præsertim qui victum parare sibi labore manuum minimè coguntur, ut iis diebus Sacrosancto Missæ Sacrificio haud negligant interesse.

Illud denique Sanctitas Sua à religione, ac pietate Gallorum sibi pollicetur, ut quò minor in posterùm futurus erit tum dierum Festorum, tum Jejuniorum numerus, eò majori studio, fervore, ac diligentiâ paucos illos qui supererunt observaturi sint, illud sedulo animo reputantes, Christiano nomine indignum esse quisquis Christi et Ecclesiæ ejus mandata, qua par est curâ non custodit. Ut enim præclarè scriptum est ab Apostolo Joanne: *Qui dicit se nosse eum, et mandata ejus non custodit, mendax est, et in hoc veritas non est.*

Dies Festi præter Dominicos in Galliis observandi.

Nativitas D. N. J. C.

Ascensio.

Assumptio B. M. V.

Festum Sanctorum omnium.

Datum Parisiis, ex Ædibus Nostræ Residentiæ, hâc die 9. Aprilis 1802.

J. B. Card. CAPRARA, Legatus.

J. A. SALA, Apostolicæ Legationis Secretarius.

Verba Cardinalis Legati in prima ejus publica Admissione die 9. Aprilis 1802. ad Primum Consulem Reipublicæ Gallicanæ.

GENERAL PREMIER CONSUL

C'est au nom du Souverain Pontife, et sous vos Auspices, General Premier Consul, que je viens remplir au milieu des Français les Augustes Fonctions de Legat a Latere.

Je viens au milieu d'une grande, et belliqueuse Nation, dont Vous avez rehaussé la Gloire par Vos conquêtes, et assuré la tranquillité exterieure par une paix universelle, et au bonheur de la quelle vous allez mettre le Comble, en lui rendant le libre exercice de la Religion Catholique. Cette gloire vous etoit reservée Général Consul. Le même bras, qui gagna des Batailles, qui signa la Paix avec toutes les Nations, redonne de la splendeur aux Temples du vrai Dieu, releve les Autels, et raffermit son Culte.

Consommez, Général Consul, cette oeuvre de sagesse si longtems desirée par vos administrés. Je ne negligerai rien pour y concourir.

Interprete fidel des sentiments du Souverain Pontife, le premier, et le plus doux de mes devoirs, est de vous exprimer ses tendres sentiments pour vous, et son amour pour tous les Français. Vos desirs regleront la durée de ma demeure auprès de vous. Je ne m'en eloignerai, qu'en deposant entre vos mains les monuments de cette importante Mission, pendant la quelle, vous pouvez être sur, que je ne me permetterai rien, qui soit contraire aux droits du Gouvernement, et de la Nation. Je vous donne pour garant de ma sincerité, et de la fidelité de ma promesse, mon Titre, ma franchise connue, et j'ose le dire, la confiance, que le Souverain Pontife, et Vous même m'avez temoigné.

Verba Promissionis, quam Cardinalis Legatus in præfata prima Admissione e scripto recitavit.

Promitto Primo Consuli, me Legati munere non functurum, nec facultatibus mihi a S. Sede concessis usurum, nisi quamdiu in Republica ero, & ipsi Primo Consuli placuerit; adeo ut certior factus de illius voluntate, illi convenienter Legati nomen, et jus continuo sim depositurus; simulque omnium, quæ a me gerantur, legatione finita, Codicillos relicturum in manibus ejus, quem voluerit Primus Consul. Item servaturum statuta, et consuetudines Reipublicæ, et numquam jurisdictioni, ac juribus Gubernii derogaturum. In quorum Testimonium præsentem meam promissionem publice perlegi.

Exemplum Epistolæ ad Sanctissimum Dominum Nostrum PIUM PP.VII. datæ ab iis ex novis Galliarum Episcopis a Primo Reipublicæ Consule nominatis, qui prius occupaverant Sedes Episcopales absque institutione Sedis Apostolicæ.

BEATISSIME PATER

A primo Galliarum Consule in Episcopum . . . . . nominatus, nihil antiquius habeo quàm ut ea omnia discordiarum semina penitùs extinguere possim quæ ex Gallicanæ Revolutionis inevitabili serie dimanarunt. Quapropter, ne quid Sanctitati vestræ dubii in hac parte, circa mentis meæ propositum existere possit, sincero corde profiteor me Constitutionem, ut ajunt, Civilem Cleri Gallicani ultro deserere, novæ Conventionis inter Sanctitatem vestram, et Gubernium Gallicanum initæ, me dispositiones et articulos admittere et admissurum, profiteri et professurum; veramque Sanctitati Vestræ ac Successoribus ejus obedientiam servaturum. Sanctitatem Vestram enixè rogo ut hæc pro invariabili mentis meæ proposito habens, me tamquam Ecclesiæ Catholicæ filium obedientissimum respicere velit, mihique Canonicam institutionem, quam ab ipsa humiliter efflagito, concedere dignetur.

Interim Benedictionem Apostolicam ab ipsa petit tanquam caritatis ejus erga se pretiosum pignus

Sanctitatis Vestræ

Beatissime Pater

Humillimus, et Obsequentissimus Filius

. . . .

Parisiis

Sequitur subscriptio cum testimonio de subscriptione a binis Episcopis Aurelianensi, et Venetensi dato.

Decretum Absolutionis, et dispensationis ab Emo Card. Legato elargitæ iis ex novis Galliarum Episcopis, qui pridem Episcopales Sedes absque Sedis Apostolicæ institutione occuparunt,

Claudio Francisco Mariæ Primat occupante primum Cameracensem, postea Lugdunensem sedem,

Joanni Claudio le Blanc de Beaulieu, Rothomagensem

Joanni Francisco Perrier dicto Episcopo Vulgo *du Puy de Dôme*

Claudio le Coz, Rhedonensem

Joanni Baptistæ Saurine dicto Episcopo Vulgo *Des landes* Exaratum in forma gratiosa, Emi D. Cardinalis Legati manu subscriptum signoque munitum, atque unicuique eorum per Rmum Dominum Episcopum Aurelianensem consignandum, postquam resipiscentiæ signa quisque exhibuisset, eique se conformasset.

Nos Joannes Baptista tituli S. Honuphrii S. R. E. Presbyter Cardinalis Caprara Archiepiscopus, Episcopus Æsinus SSmi Domini Nostri Pii Papæ VII. & S. Sedis Apostolicæ ad Primum Galliarum Reipublicæ Consulem a Latere Legatus.

Cum R. D. (cujusque Nomen et Cognomen, atque Archiepiscopalis aut Episcopalis Sedes exprimebatur) absque Apostolicæ Sedis institutione jam occupatam abjecerit, et ab illius Ecclesiæ Regimine prorsus cessaverit, nec non debitam Romano Pontifici obedientiam, et submissionem professus sit, atque Judiciis Apostolicæ Sedis super Ecclesiasticis Galliarum negotiis, emanatis sincero animo se adhærere, ac plane subjectum esse declaraverit;

Nos qui Sanctitatis Suæ, & S. Sedis de Latere Legati Potestate fungimur, memoratum N. N. Catholicæ unitati adhærentem, a quibusvis sententiis, censuris, et pœnis Ecclesiasticis, tam à jure quam ab homine, quavis causa et occasione latis, et quomodolibet respective incursis, speciali et Apostolica expressa Auctoritate in utroque foro absolvimus, et absolutum declaramus, cum Pænitentia semel recitandi septem psalmos Pænitentiales, et cum obligatione sollicite servandi unitatem in vinculo pacis; et

cum præfato N. N. suffragante ei merito suæ conformitatis Sanctitatis suæ hortatibus, super quacumque irregularitate, quavis causa et occasione quomodolibet contracta, pari Apostolica speciali et expressa auctoritate, in utroque similiter foro, misericorditer dispensamus. Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, cæterisque in contrarium facientibus, speciali etiam et individua mentione dignis non obstantibus. Datum Parisiis ex ædibus Nostræ Residentiæ die 4. Aprilis 1802.

Loco ✠ Signi *J. B. Card. Legat.*

Gratis etiam quoad Scripturam *Vincentius Ducci á secretis in Ecclesiasticis.*

Ego Subsignatus Episcopus Aurelianensis, ab Emo D. Cardinale Legato Designatus, ut Decretum in forma Gratiosa, ut supra conceptum tum absolutionis à quibusvis censuris et pænis Ecclesiasticis, tum Dispensationis super quacumque irregularitate elargirer quinque superius recensitis, ac ad Archiepiscopales, et Episcopales sedes respective nominatis a Primo Galliarum Reipublicæ Consule; postquam tamen resipiscentiæ signa quisque exhibuisset, et ipsius Decreti Conditionibus ac tenori se conformasset, fidem facio, me die decima sexta currentis, singulis præfatis nominatis, resipiscentiæ signa exhibentibus, et decreti conditionibus, ac tenori sese conformantibus, memoratum absolutionis et dispensationis Decretum tradidisse, quod a singulis ea qua par erat reverentia exceptum fuit. In quorum fidem præsentes mea manu subscripsi. Datum Parisiis die

✠ *Stephanus Episcopus Aurelianensis.*

H

Ecclesiarum Metropolitanai ... *sub* ...
majus erit appellanc ... *circ*...

METROPOLITANÆ	TRO...
ET	
METROPOLITANA TURONENSIS.	...ROPOLIT...
Suffraganeæ. . . *Ccnomanensis*. . .	...aneæ.
Andegavensis. . .	
Rhedonensis . . .	
Nannetensis . . .	
Corisopitensis. . .	
Venetensis	
Briocensis.	

I

quorihedrali Templum
uitum habebit.

PO TES
ET SIUM.
ANA ME, *Dylæ*.
. . *Tori*
Gane.
Nai
Leod et Urthæ.
Aquet Mosellæ.
Trev
Mog.